XII.—NICHOLAS GRIMALD'S CHRISTUS REDIVIVUS.

Prefatory Note.

The existence of the *Christus Redivivus* of Nicholas Grimald was questioned by Herford, *Literary Relations*, &c., and denied by the writer of the life of Grimald in the *National Dictionary of Biography*. We now know, from Goedeke, *Grundriss*, second ed., that a copy is in the Wolfenbüttel Library. See my letter in the London *Academy*, February 9, 1895. Soon after the appearance of that letter I received, from Herrn Spirgatis, the well-known antiquarian-dealer in Leipsic, a friendly note, in which he called my attention to Bahlmann, *Die lateinischen Dramen seit Wimpfeling's Stylpho*, in which Bahlmann mentions the existence of a copy in the Berlin Royal Library.

Thus there are three copies: the Wolfenbüttel, the Berlin, and my own.

In view of the growing interest taken in the Latin drama of the sixteenth century, I have thought it worth while to reprint my copy, thereby rendering the *Christus Redivivus* generally accessible to students.

Of the merits of the *Christus* in comparison with other plays, of its general significance, I am not competent to speak; my knowledge of the Renaissance drama is too slight. I venture upon one or two suggestions only. The *Epistola Nuncupatoria* ought to have some value for the study of scholarship in England. The four characters: Dromo, Dorus, Sangax, Brumax, *milites gloriosi*, so to speak, are an evident attempt at the comic. Christ's revelation of himself to Mary Magdalen, in the single word "Maria," Act. III, sc. 5, may have been taken of course directly from John, xx. 16. The entire situation, however, seems to me an imitation of the old

liturgical drama. Is the word *Orcicolæ*, Act IV, sc. 4, a coinage by Grimald, in imitation of the *Cœlicolæ*, &c., of the liturgical drama? I do not remember seeing the form before.

The present text is an exact reproduction of the original, page by page, line by line. Exact except in the following features:—

1. The original is throughout in italics.
2. The word *et* is in the original a ligature.
3. Occasionally I have not been certain of the accent-sign (′) in the original. This is due to the circumstance that, though the original types were sharp enough, the paper was in places speckled slightly. Hence one cannot always be certain whether a given stroke is really a (′) or only a flaw in the paper.
4. The long italic sibilant letter of the original is here given throughout with the modern Roman "s."

The punctuation of the original is in the main consistent, according to the system of those days. There is, however, great inconsistency in the use of the hyphen for words broken at line ends. For these and other blemishes the original must answer. Thus Martonensi (*for* Mertonensi), at the end of the *Epistola*, is in the original.

The continuous pagination in square brackets at the top of the page has been supplied by me. The original has only the *A2*, &c., at the bottom. The second page [2] is blank.

J. M. HART.

CHRISTVS

REDIVI-

VVS, COMOEDIA

Tragica, sacra et noua.

Authore Nicolao Grimoaldo.

DISCITE IVSTICIAM MONITI

Coloniæ Ioan. Gymnicus excudebat,

Anno M. D. XLIII.

OPTIMO ET HONO-
ratissimo uiro Gilberto Smitho, Ar-chidiacono Petroburgensi, Nicolaus Grimoaldus à Christo domino
S. D.

VTrûm audacius, aut durius esset
committere, ut opus recèns confe
ctū, per quorumuis manus *et* ora,
ueluti securum uagaretur, an tuis
ut creberrimis postulationibus ob
sisterem, saepè, doctissime uir, ac
multùm *et* à repræhensione mihi
cauens, *et* morem tibi gestum cupiens, apud me cogita-
ri. Nonnihil equidem uerebar, ne forsan hæc subita
iuuenilis inuenti peruulgatio, penitus immatura, *et* an
te diem properata, doctis ac prudentibus uiris existi-
mari posset. Namq; si uel inter clarissimos scriptores
memorantur, qui suas commentationes per multos an-
nos sibi diligenter euoluendas, *et* frequenti studio reco
lendas putauerunt, donec quod desideraretur, supple-
rent, quod abundaret ac efflueret, quasi luxuriantem
segetem paulatim depascerent: quam confidentiam ego
prodidisse uideri potero, qui cùm eosdē sequi fortasse,
nunquam adsequi, *et* de illis iudicium facere, nūquam
efficere similia queo: tamē quod propter inclementiam
brumalis frigoris haud sine difficultate, proq; ratione
temporis magna cum festinatione parturiebā, tam ci

A2 tô

[4]

EPISTOLA

tò, tamq́; nullo ad retractandq́ sumpto spacio, párere nō dubitauerim? Ac sanè, si repetenti mihi, measq́; aut fabulosas, aut fictitias, aut ueras exercitationes, quas non ita pridem chartis mandabam, recognoscenti, uete res usq; adeò labores displicent, ut in illis ipsis uix memet agnoscam, *et* quodammodò pœniteat operæ collocatæ: quid scis, num̃ nam idem posthac etiam usu mihi ueniat, uti meipsum ultrò castigās, istis, quæ nunc præ cipito ueriûs quàm scribo, magìs elaborata *et* perpolita uellem sufficere? Metuebam præterea̓, ne fortè quis me parùm nauiter humeros explorasse, ac meam facultatem consuluisse censeat: quandoquidem ineptum uiribus meis onus, atq; argumentum grauius *et* maius uidear suscipere, quàm quod ab homine adolescentulo tractari uel possit, uel debeat. Etenim cùm multæ res in sacra Philosophia, nequaquam facilè cognoscūtur, nisi quis Græcam simul *et* Hebræam linguam tenue rit, nisi quis in ea perdiu uersatus fuerit, *et* singula inter se loca studiosè contulerit: tum de Christi à mor tuis exurrectione, quam sic antè constituere, quasi si res iam ageretur, contendo, haud paucis difficultatibus, inuoluta historia est. Neq; uerò desunt, qui imber bem adhuc *et* crescentem cum consilio ætatem, aut à sa crarum lectione literarum omnino arceri uolunt, aut si admittunt aliquando, ut auscultricem quidem accede re patiuntur, ut interpretem autem nullo modo. Tum demum, haud mediocriter illud pertimescebam, futuros, qui nimiùm iustè conquerantur: ne rem gestam ri tè digerere, ac talem tantamq́; materiam digna orati-

one

[5]

NVNCVPATORIA.

one uestire non posse. Nimirum, tanquam in communi hominum uita *et* moribus, arduum in primis habetur, in unaquaq; re decorū perspicere *et* obseruare, de quo sapienter à Philosophis in Ethica disciplina præcipitur: sic in poëmatis, consentaneam rebus *et* personis orationem adfingere, hominem peracuto ingenio, lima to iudicio, singulari diligentia, summoq; ocio abundantem requirit. Certum est enim, nec locupletem *et* tenuem fortunam, nec simplicem narrationem *et* iactationem Thrasonicam, nec blandam consolationem *et* querimoniam, nec cœlestem uocem *et* tartareos clamo res, unum atq; idem postulare dictionis genus. Proinde, perfici oportere, ut pro rerum natura, uarietate *et* modo, nunc Oratoriorum luminum *et* conformationum ueluti parcus, humili passu repat uersus, interdum uerò, uolubiliùs ac profluentiùs excursitet, sæpè autem numero uerborum agmen instar hybernarum niuium ingruat, *et* plenis habenis prorumpens oratio, campum, in quo exultare possit, obtineat. Adhæc, dum lêgi carminis inseruitur, operosam quandam rem, ac propè desperatam esse, ita postrema uerba cum insequentibus primis copulare, ut neq; iunctura uocalium hiulcas, neq; consonantium concursus uoces efficiat asperas: itaq; compræhensionis cuiusq; ambitum exple re, ut aureis teretes *et* religiosæ, neq; mutila *et* quasi decurtata sentiant, neq; superuacanea *et* redundantia. In primis igitur, quod ad huiusce libri êditionem attinet, uideor mihi uidere quosdam, me ut nimis ac nimis temerarium arguenteis: qui cùm tutiùs in umbratili

A3 Philoso-

[6]

EPISTOLA

Philosophorum schola, nō secus ac in aliquo nido possem delitescere: tamen multo meo cum periculo implumis euolare gestiam. Qui si nullum aliud à me responsum auferrent, nisi quòd roganti Gilberto Smitho morigerari uolui, esset fortassis honesta ratio: cùm præsertim *et* de me quàm optimè promerito, *et* bonarum literarum amantissimo uiro, *et* recta, *et* suo quodam iure poscenti, deesse nolui. Sed enim ut paulò altiùs huiusce facti consilium repetam, cùm è Cantabrigiensi Academia decedens, uehementer hortante te *et* pecunias ultrò suppeditante, uenissem ad alterum Angliæ lumen Oxoniam, nec eò libri mei per hebdomadas aliquot essent adlati: hanc sum ingressus prouinciam, *et* quia intermissum legendi cursum, fructuoso aliquo commentandi genere pensare concupiui, *et* quia res ipsæ sic inhærebat animo meo, ut ex memoriæ thesauro tanquam de scripto promere liceret singula. Postea uerò quàm uersatus in Collegio doctorum, quod ab Aeneo naso nomen inuenit, per mensem unum *et* item alterum istam pro mea uirili Spartam ornauerā, ac fortè fortuna ita, ut fiebat, arderet pubes domestica theatrum conscendere, quô *et* suos excitarent animos, *et* ciuibus imaginem quandam uitæ spectandam exhiberent: continuò ex paucis, qui meum cubiculum frequentabant, cœpit multis innotescere, quid molirer, quidq́; in manibus haberem. Egit itaq; mecum Matthæus Smithus Collegij præses *et* consanguineus tuus, homo mirifica modestia, liberalitate *et* sanctimonia præditus: egit Robertus Cauduuellus, uir perhonestus, *et* insigniter

[7]

NVNCVPATORIA.

ter doctus: egerunt lectissimi atq; optimæ spei adolescenteis, ut meam sibi fœturā, in Scenam producendam concrederem, in eaq́; re, meam illis operam dicarem ac deuouerem. Quoniam autem negare eis tum præclara petentibus, tum indole sua digna cupientibus, difficile mihi uisum fuit: permisi sanè, ut eorum auspicijs, hæc ista Comœdia etiam in eruditissimorum uirorum coro na publicitus ageretur. Quod simul ut fama uoce loquaci perstrepens, in aureis tuas effuderat: me non solùm per diligentissimum institutorem meum Iohannem Aërium admonere, sed *et* ipse tu iterum atq; iterum huius poëmatis êditionem rogare comiter sustinuisti. Atque adeò, quoties egomet admiratione *et* pudore propè confusus, ad caussas ingeniosus extiti: dicebamq́; non posse non in adolescente uiginti plus minus annos nato, undiq; apparere inscientiæ uestigia, habebamq́; in obiectis omnia, quæ sunt à me superiùs adducta: toties præceptor ille meus (quæ sua fuit *et* tibi obsequendi, *et* prouocandi mei sedulitas) instabat, *et* exemplis cùm recentiorum, tum etiam ueterum utebatur, quorum extarent monumenta, id ætatis, haud sine summa laude conscripta. Neq; mihi magnoperè sequendam esse aiebat uocem illā Horatianam, quæ nonum in annum premi iubet opusculum: quin potiùs, quô tibi extrema iam ætate confecto (dùm licet) gratum facerem, festinādum, agendum'que in tantis meis occupationibus domesticis cum uiro aliquo exquisitè docto, ut *et* legere librum *et* inter legendum uultus inimicos induere uelit. Neq; si grauioribus deinceps annis, grauius industriæ speci

[8]

EPISTOLA

men êdere me posse confidam: continuò, ab hoc proposi to desistendum. Vt enim (exempli gratia) M. Tullij Rhetoricis ad Quintum fratrem aduentante senectute cōscriptis, omnem admirationem tribui uidemus: ita *et* libris de Rhetorica inuentione, quos adolescens composuit, suam esse laudem *et* commendationem. Non P. Vergilium detinuisse à scribendo Culicem aut Aeclogas, rei rusticæ describendæ speratam gloriam: non eam cum Hesiodo contentionem, magni Homeri æmu lationem restinxisse. Itemq; non Maronianum Aeneam, primis tantùm in cursu, uerùm *et* secundis, *et* etiā infra secūdos quibusdam, certa elargitum esse præmia. Iam uerò, illud peropportunè cecidisse confirmabat, quòd in argumentum adsumerem non leuiuscula Epigrammata, non amatorios iocos, non morias, non mimos, non postremorum hominum colloquia, non Atel lanam Comœdiam, nō Tabernariam, aut si qua sunt Ethnicarum fabularum portenta, quæ nihil ad morum conformationem, nihil ad solidam eruditionem, ni hil ad diuinæ laudis amplificationem adferunt emolumenti: sed quòd pro creaturis, creatorem, pro perditis *et* execrandis redemptorem *et* conseruatorem, pro hu mana ostentatione, cœlestis gloriæ propagationem, denique ipsum autorem carminis Iesum Christum, in materiam carminis accepissem. Omninoq; rem digniorē aut magìs diuinam, ex omnibus omnium scriptis, de ligi nunquam potuisse. Quippè quæ totius nostræ salutis quasi tabula sit, *et* uiuida repræsentatio. Nam qui reducem à morte Christum, ac pro suo scelere satis

ab eo

[9]

NVNCVPATORIA.

ab eo factum planè sentit, eiusdemq; spiritu sanctiorem ad uitam renouatur: eum inconcussa *et* efficaci fiduciæ uicturum, nihil sibi uel à prauarum adfectionum pulsionibus, uel à mortis periculo timentem, quin uiciorum colluuiem strenuè fortiterq; pugnando dies in singulos repressurum, ut *et* ipse cum Christo suo mortuus peccatis, uiuat uni Deo. Vnde pronunciare Petrum, bonæ conscientæ fœdus erga Deum constare, per exur rectionē Iesu Christi à mortuis, qui patris ad dexteram considet. Cùm etenim diuinæ gratiæ non nisi per fidem in Christum participes fieri possumus: nūquam eò niti ualere persuasionem nostram, si non mortem illo uindice uictam iacere, si non illum genitori cœlesti adsidentem regnare, si deniq; nō omnibus antepositum *et* prælatum certò crediderimus. Si quidem, ut subeun dum ipsi letum fuisse, quô indignationem Dei, quam so lus Adamus contraxerat, solus Messias tolleret, inq; nobismetipsis peccata perimeret: sic uitæ restitui oportuisse, ut ad eius ipsius imaginem *et* formam suo spiritu perpetuò refingeremur, utq; suo munere iusti redderemur. Idcircò, ualdè probandam operam meam in hoc negocio constantissimè adseuerauit, quoniam, cu ius fidem ipse Christus tam diligenter astruebat, *et* qua una in re spes atq; opes humanæ omneis collocari debent, perfeci, non solùm ut auditione accipi, sed etiam coram oculis proponi *et* statui queat. Semper inculca ri, semper mente *et* cogitatione reponi, semper fidelissima persuasione retineri, triumphum hunc Seruatoris nostri de peccato *et* morte, summè necessarium fore:

A5 tum

[10]

EPISTOLA

tum quòd humana ratio *et* intelligentia uix ualet eum compræhendere: tum quòd improba suasio maligni dæ monis in hoc nos maximè remorari solet, in quo nouit salutem nostram totam esse positam. Itaq; non modò flo res ex oratione lectorem decerpturum: uerumetiam ex ipsa re fructus percepturum uberrimos. Quod autem ad uireis meas, *et* ætatis rationem attineret, nihil uide re se dictitabat, uel impudens, uel indecorum. Primùm enim non id me suscipere atq; profiteri, ut reuelem ab-dita mysteria: sed ut nudam ac ueram historiam enar-rem, *et* modo quodam Poëtico, hoc est, claro *et* illu-stri spectaculo patefaciam. Nec sibi dubium esse, quin eam ad rem præter linguarum atq; librorum admini-cula, *et* diligentem meditationem, *et* assiduam precati onem adhibuerim. Hac scilicet ratione *et* uia infanteis, paruulos ac pusillos regni Dei, citius ad germanam ac diuini eloquij scientiam atq; intellectum peruenire: quàm Cicerones, Aristoteles, Galenos, aut quoscun. que etiam alios, qui suo ipsorum acumine, proprio inge nio, *et* humana sapientia nitūtur. Deinde, illud maxi mè decere *et* cōuenire, ut in Christiana Ecclesia mem brum nullum ocio desidiaq́; torpescat: sed, qua potest parte, uniuerso corpori famuletur *et* inseruiat. Atq; ijs, qui tātarum rerum explicationem committi nolunt adolescentibus, cogitandum esse, quid′ nam de Timo-thei iuuentute senserit Paulus Apostolus: istis uerò, qui ne legēdi quidem uerbum illud salutiferum, Deiq́; placita potestatem faciunt, D. Erasmi paraclesin pro-ponendam esse, *et* quid Christianæ professionis inter-sit

[11]

NVNCVPATORIA.

sit, etiam atq; etiam considerandum. Postremò, quod spectat ad huius Tragicæ Comœdiæ tractationem, suo quæq; loco ritè disponi, decorum custodiri, è rerum copia nasci uerborum copiam, numeros Comicos *et* fe rè Terentianos obseruari iudicabat. Bellè uidelicet, me temporum ordine ad finem decurrisse: *et* magnæ paruis, læta tristibus, obscura dilucidis, incredibiliæ probabilibus intexuisse. Quemadmodum enim quô res ipsa nomen tueatur suum, primum Actum Tragico mœrori cedere, quintum uerò *et* ultimum iucunditatibus adcommodari *et* gaudijs: ita quô uarietas satietati occurrat, cæteris omnibus intermedijs, nunc lugu bria, nunc festiua interseri. Etiam nihil ineptum, nihil indecorum, nihil quod aut personæ, aut rei, aut tempo ri, aut loco minùs quadret, inueniri posse arbitrabatur. Nam quis, inquit, Oratoriæ facultatis expertus, non rem gestam indicātibus *et* subitò colloquentibus, tenuem, pressum, *et* familiarem sermonem: non consolatoribus, læticiæ nūcijs, atq; plaudētibus, tractam, suauem *et* uenustam dictionem: non gloriosis, exultabundis, *et* indignantibus, acrem, ardentem, *et* grandiloquam orationē attribuerit? Loca item, haud usque eò discriminari censebat: quin unum in proscenium, facilè *et* citra negocium conduci queant. Ac si quis miretur, uel quòd plurium dierum historiam atque diuersa tempora, in unam *et* eandem actionem coëgerim, uel quòd funestum *et* perluctuosum principium, tam plausibilem sortiatur exitum: eum intelligere debere, me autorem sequi M. Actium Plautum, cuius præter

alias

[12]

EPISTOLA

alias Capteiuei *et* compluribus interiectis diebus agi fingũtur, *et* ex initio mœsto in lætum etiã finem trans eunt. Deniq; certa spacia, numeratos pedes, atque circumscriptos ueluti cancellos in uersibus scrupulosè sa tis retinuisse me adserebat: etiamsi non Christianæ libertatis hominibus, sed ijs, qui se superstitiosis *et* anxijs profanorum authorum legibus illigarẽt, scripsis sem. Et tamen, metri seruitutem, nunquam uim uerbis auferre, aut quasi natiuam lucem *et* gratiam eripere sentiebat. Ego uerò, hæc omnia, *et* alia permulta in eandem sentẽtiam ab eodem instructore meo perorata: partim eius erga me beneuolentiæ, partim animi tui explendi desiderio tribuenda existimabam. Sed enim, quomodocunq; se res habet, testificor me tuis mandatis impulsum, *et* penè inuitum hanc uel Comœdiam, uel Tragœdiam, uel etiam utramq; publicare esse ausum. Mâlo etenim dum uoluntati tuæ sim obsecutus, desiderari à te prudentiam meam, quàm si non sim obsecutus, animi propensionem atq; parendi studium. Nam quæ tandem esset inhumanitas, illi, cui uictũ, cui libros, cui demum omnia præsidia studiorum meorũ debeam, qualemcunq; saltem tam collati beneficij sui, quàm relati officij mei fructum flagitanti abnuere? Nunc ergò, quemadmodum antiquitatis obseruatione à priscis usque seculis ac hominum ætatibus ducta, *et* diuturni tate temporis confirmata, receptum est: hasce primitias ingenioli mei secundùm gratiæ modum acceptum à Domino, tibi, perillustris Archidiacone, nuncupo, consecro, *et* uelut in clientelam trado, ut patrocinio tuo defensæ

[13]

NVNCVPATORIA.

defensæ, tum in Dei Opt. Max. gloriam *et* honorem, tum in Christianæ iuuentutis usum *et* emolumentum exire possint. Bene ualeas, *et* gratia Domini nostri Iesu Christi te regat, foueat, conseruet.
Oxoniæ. è Collegio Martonensi. Anno M. D. XLIII.

PERSONAE

Magdalene.
Cleophis.
Chorus Galileidum.
Iosephus Arimathiensis.
Nicodemus.
Caïaphas.
Annas.
Dromo.
Dorus.
Sangax.
Brumax.
Cacodæmon.
Manes piorum.
Christus.
Petrus.
Iohannes.
Angelus primus.
Angelus secundus.
Chorus discipulorum.
Alecto.
Cleophas.
Amaon.
Thomas Didymus.

[14]

PROLOGVS.

Iambici Trimetri uel senarij.

GRatia uobis *et* pax adsit, uiri optimi à
Summo Deo: factoq; iam silentio, huc
Aureis, oculos, mentemq; uestram intendite:
Vti, qua uenistis caussa, expeditiùs
Intelligatis, hoc quid sit spectaculi.
Christum rediuiuum, comœdiam sacram,
Diui quam suppetunt Euangeliographi,
Vobis præbemus intuendam singulis.
Et id quidem non externis tantummodo
Luminibus, intimo sed *et* haustu pectoris.
Est absq; ulla dubitatione, eiusmodi
Res, quæ ob oculos frequens uersari debeat.
Monstratur enim, sub aspectumq; ponitur,
Summum Dei Opt. Max. *et* amplissimum
Beneficium. Quia in Christo, superûm pater
Penitus expressit, quo scilicet modo
Erga genus humanum animatus extitit.
Is enim (quæ sua fuit Patrisq; charitas)
Pro scelere nostro fecit abundè satis:
Intimum amorem suo testatus sanguine.
Ac ne quis precium non solutum adhuc putet,
Noluit mortis detineri carcere:

Quin

[15]

PROLOGVS.

Quin hac, *et* peccato uictis atq; obrutis
Erupit, *et* sanctorum regna repetijt.
Hinc spiritus locuples in orbem effunditur,
Dominantis iam Christi donum optatissimum:
Nos qui suos uera sic instruit fide,
Vt *et* Dei factam per Christum gratiam
Nobis persuadeat, *et* efficaciter
Sese ipsa per amorem uehementem exprimat.
Iam Christus noster est, *et* nos Christi sumus,
Ac ipse Christus corporis est nostri caput, *et*
Se nobis reddidit undequaq; similem.
Vtq́; ille recepta mole reuixit carnea:
Sic *et* nos (eius qui quasi membra existimus)
In rediuiuo mortalitatis unicam
Spem Christo figere, par est *et* consonum.
Nunc autem, ea in re, qua fit illustrissimum
Salutis æternæ summam consistere:
Quâm mirificè domini gratuita bonitas
Cum incredulitate suorum certauerit,
In hac tota historia licebit cernere?
Quum ne Angelis quidem eius alumni crederem,
Eum pòst organa resumpsisse corporis,
Quâm uis Iudaica sibi uitam exhauserat:
Semet uiuum corâm exhibuit, *et* sæpiûs
Manifestis declarauit testimonijs.
Nam præter mutua hinc indè habita colloquia,
Panem

[16]

PROLOGVS.

Panem suo quodam more in parteis tribuit,
Oppessulatis foribus introijt domum,
Comedit unà, tangendum se præbuit,
Omisit nihil, hæc uitæ recuperatio
Nobis, ut omnibus esset persuasissima.
Si ergò hîc Dei tanta elucet benignitas,
Quantam non cuncta opera ostentant cætera:
Certè nullum spectrum uberiore gaudio
Christiadum poterit pertentare pectora.

ARGVMENTVM ACTVS I.

NVnc uestra ne fallatur expectatio,
Sic accipitote, quod primum in scenam uenit.
Christus in eo iacet sepulchro conditus:
Quem Magdalis cum cæteris mulieribus,
Quæ à Galilæa Iesum sequutæ uenerant,
Flet à Iudæis interemptum atrociter.
Ast *et* Nicodemus, *et* Iosephus illicò hâc
Viam carpent. qui cùm spe animos erigent,
Tum uerò etiam secum illas deducent domum. *et*
Actum istum, nox interuentu claudet suo.
Ego uobiscum unà spectator ero fabulæ.

ACTVS I. SCENA I.

Magdalene. Cleophis. Chorus Galileïdum.
Octonarij.

O uos

[17]

REDIVIVVS.

O Vos iniqui Iudæi, ô scelere inflāmati acerrimo,
O uos feri, ô uiolenti, ô *et* multò crudelissimi:
Dicite, qua tandē cote hanc insignē uestrā inuidientiam
Plus plusq́; sic exacuitis? Dicite, quà nam è fornace tot
Spirant irarum æstus uobis, ac tanta ruunt incendia?
Credo equidē, uos omneis immanitate q̄ teterrimos,
Rabiem satiauisse uestram, in hoc neci iam dedito.
Scelerosa Solyma, scelerosa Iudæa propagatio
Ac soboles, integris bonis *et* sanctis plerisq; omnibus,
Heu nimium pertinaciter infensa *et* inimica uatibus,
Quid est quod tantopere bilem concitauerat tuam?
In hunc spectatum hominem, quid? hominem dico? imò sanè quidem
Diuinum *et* cœlestem prophetam appellarem ueraciùs.
Vt qui stupenda potentia miserrimis mortalibus
Opem *et* auxilium ferens: hæc (etsi ualdè ingrata immania
Ac turbida) lustrare loca minimè recusauerit.
Hic pro sua mera bonitate, alijs posthabitis gentibus,
Tete sibimet unam præter cæteras delegerat:
Quā signis, quā meritis, quā admirādis rerū miraculis
Ad ipsum cœlum usq; efferret *et* eueheret, quam demum suis
Beneficijs *et* rebus gestis, æqualem olympo redderet.
Ergò, hunc tam præclarè *et* magnificè de te promeriuirum, (tum

B His

[18]

CHRISTVS

His cumulas egregijs donis? ergò isti, quem præstabilis
Honestas exculpauerat, hæc (tanquā præmia uidelicet)
Animum induxti, hospitia digna referre *et* rependere?
Hæc′cine tecta? hasce sedes? hosce constituisti toros?
Hunc′cine honorē addidisti? ô horrēdū atq; nefariū sce
O facinus nulla cuiusquā lingua oīno excusabile. (lus.
Non tot uatum uoces, nō tam clarissima Iamb.
Stupendaq; prodigia, non te deniq; Trimet.
Tam præsens numen potuit unquam inflectere?
Tu istam sciens uolensq; peregisti necem.
Tu uulnificis, heu, sertis inflictum caput,
Tu palmas traiectas acuta cuspide,
Tu clauis confossos pedes,
Alta in pinu ac tristi pendenteis machina:
Tu, tu, dico, exultans respexti hostiliter.
Scribe hunc tibi de Christo triumphum, si uoles:
Habe hanc laudem, ut de cæde bonorum gaudeas.
Erit, erit dies, qua te mirum in modum
Pœniteat perpetrasse tam indignum nefas.
Verùm ista dolorem auget commemoratio.
Attamen ego meis unà cum sororibus
Lachrymas gemitusq; fundens *et* suspiria,
Si non (mi Christe) illud corpusculum tuum, at
Saxum, quo tègeris, tamen amplexa suauiter,
Lubens officium tibi nunc persoluam ultimum.
Valeto dulce decus meum, decus meum

Valeto

[19]

REDIVIVVS.

Valeto ad tempus, ast' non æternùm quidem.
Neq; enim tu iam planè atq; omnino extingueris:
Sed astra leuem partem, terrestrem humus tenet,
Sese tandem aliquando uisuram denuò.
Viuent, uiuent, quæ fingimus ossa mortua.
Intereà, hîc molliter quiescas, Christe mi:
Intereà mi Christe, quiescas hîc molliter.

ACTVS I. SCENA II.

Iosephus Arimathæus. Nicodemus. Magdalis.

Salóme. Cleoph. Iohann.

AMabò te, mi Nicodeme, animum attendito, ut Trimet.
Fœmineo plangore hortus totus personat?
Sedet Magdalis in medio posita marmore
Capillis dilaceratis, ore pallido.
Nec iam uocem ullam ualet ampliùs emittere.
Sed magnis exanimata cruciatibus,
Lapidi adhæret, non secus ac esset mortua.
Aliæ, non modò non hanc à mœstitia uocant:
Verùm etiam profusis indulgent fletibus,
Pugnisq́; frequentibus concutiunt pectora.
Breuiter, omnes omnia replent luctu loca.
Nic. Iosephe, mihi mediusfidius morsu quasi
Quodam, sensum planè peracerbum inferunt.
Atq; adeò incredibili iam ipse dolori meo
Vel mœrori potiùs, quem è tam diro exitu

B 2 Optimi

[20]

CHRISTVS

Optimi hominis accepi, uix queo resistere:
Sed imperabo tamen meis adfectibus,
Quin adgredimur propiùs ut flenteis fœminas
(Quoad à nobis fieri *et* præstari potest)
Leuemus, atq; spem illis præbeamus aliquam.
Quomq́; umbra terræ iam solis opacat iubar,
Ne fortè meticulosis incommodet,
Atq; noceat nocturna concursatio:
Exanguem in tecta reportemus Magdalim,
Easq́; singulas abducamus domum.
Ios. Satis admodum tu commodè mones. nam id *et*
Ratio temporis, *et* rerum postulat status.
Agè festinanter, compellemus alacriter.
Nic. Quousq; tandem Galilææ lachrymabitis?
Aut quàm diu ad hanc petram querulæ manebitis?
Quem ad finem in squalore iacebitis *et* sordibus?
Ios. Hoc non fit sanè sine diuino numine:
Vos parcitote lachrymosis questibus.
Et iam nox ruit, ac somnum hortantur sydera.
Vos ploratu finem atq; modum imponite:
Octona. Sedatè oportet tolerari, quod ferre necessitas iubet.
Vos eiulatum ergò deponite, *et* iam conticescite.
Mag. Heû me quid obsecro misera, misera,
Quid agam tandem aliud misera, misera,
Quàm quod furtim erepta sibi querens pignora,
Philomela *et* noctu factitat *et* interdiu?

Turpe

[21]

REDIVIVVS.

Turpe profectò mihi duco, post hunc mori
Non posse me, uel sola mœroris face.
Nic. Maria, caue Maria, ne insanis clamoribus
Cœlestis patris iras aduersùm te incites.
Mag. Eheu, mihi cur, cur non licuerit mihi,
Christum extinctum saltem lamentari meum?
Nic. Non est, mihi crede, non est extinctus tuus
Christus: sed potiùs exemptus iam uinculis
Corporeis, æthereo fruiscitur polo.
Non est amissus, sed præmissus ad Deum.
Nec sibi finem uitæ, sed initium quidem
Aeternitatis morte consequutus est.
Nec perijt, sed à nobis discedens *et* migrans,
Ad societatem abijt superum immortalium.
Vbi pro seruitute uitam liberam,
Pro umbris lucem, pro rerum incertitudine
Securitatem, pro labore præmium est
Adeptus, nullo intermoriturum seculo.
Mag. In hoc equidem tibi facilè adsentior,
Quòd quemadmodum eius ossa sepulchro dormiant:
Ita mens cum Deo *et* reliquis uiuat pijs.
Sed ut suam sortem non omnino fleam:
Propria damna tamen, atq; incommoda publica,
Diuinum hominem deplorare ereptum iubent.
Nam qui mihi meisq́; semper extitit
Præsens perfugium, portus, *et* opitulatio,
B 3 Qui

[22]

CHRISTVS

Qui me torquenteis effugabat dæmonas.
Qui Lazarum ad uitæ reuocabat munera.
Quo præsente mea plaudebat Bethania:
Eheu, mihi cur, cur non licuerit mihi,
Eundem ademptum saltem lamentarier?
Nic. Quibus te simul *et* nos exornauit bonis,
Horum fructus nobiscum perpetuò manent.
Quàm sit iniquum autem optare, hanc uitam ut uiueret,
Potiùs quàm ubi nunc est, ipsa per te cogites.
Tellure indignus, cœlo collocatus est.
Mundus eum respuit, exceperunt cælites.
Quapropter neq; te destitutam dixeris:
Et eius conditioni gratulabere.
Mag. O Nicodeme, lubens agnosco illud equidem,
Me sic ipsius cumulatam esse munere,
Vt omnem in uitam sim futura melior.
Verùm, quoties tenax repetit memoria,
Punctum corolla spinifera sinciput
Manus adfixas, ferrò contrusos pedes,
Turpatos crineis, barbam cretam sanguine,
Illusum, pulsatum, ignominiosè pendulum,
Vnâ cum pessimæ notæ latronibus,
Deiectos oculos, ora morientia,
Et etiam hastam cruore intepuisse lateris:
Toties, eheu, cur non licitum erit mihi,

Sic

[23]

REDIVIVVS.

Sic cæsum insontem, saltem lamentarier?
Nic. Sanè multas perdis lachrymas, ô Magdalis,
Ad rem amissam recuperandam faciunt nihil.
Imò magìs nostrum dolorem exasperant,
Quàm tibi quid consolationis adferunt.
Sed qui ex usu rei totius publicæ
Tot supra hominem res arduas olim êdidit:
Is (ne dubites) haud absq; nostris omnium
Vtilitatibus, uolens efflauit spiritum.
Ac sanè nescio quid istiusmodi
Futurum, mihi præsignificabat: etenim
Quom multa nocte, à Iudæis metuens mihi,
Eum consulerem, memini dicere solitum,
Quòd ut in agris atq; desertis locis,
Mose serpens erectus quondam fuit:
Ita oporteret seseipsum exaltarier.
Quanquàm quid sibi uoluit, non planè intelligo.
Potuisset letum subterfugere, sat scio,
Modò uoluisset: at sponte ipse sese dedit
Violentis inimicorum armis obuium.
Quid quòd summus parens iussis haud mollibus
Vrgebat: cuius cùm reliquis in omnibus,
Tum uerò istac in re standum est arbitrio.
Si ergò rectum iudicium, si modestiam
Retinere dignam forti fœmina uoles,
Si eius uoluntati conspirabit tua,

[24]

CHRISTVS

Si parebis Dei ipsius prudentiæ:
Non erit ullo pacto, non tibi licitum erit,
Christum occisum tam acerbè lamentarier.
Ios. Surgas nunc Magdalis, Maria consurgito:
Abundè suus à te tumulo datus est honos.
Mag. Adsurgam ego? me nullus ab hoc marmoreo
Antro diuellet, anima dum exuperabo mea.
Salo. Imò surge, *et* senis dicto sis audiens
O Maria. nam, quod ipsa tu nosti probè,
Cras festa pro recepta consuetudine
Nobis quidem celebranda sunt solennia.
Pòst reuenienteis, modò sic stat sententia,
Huic aromata precioso corpori,
Bene olentia *et* amœna comparabimus.
Agédum, Arimathæe, istanc ab humo subleua.
Mag. Ah, quamuis ægrè mihi discedendum siet,
Tamen amicis adquiescam hortatibus.
Facite igitur matronæ religiosissimæ, ut
Sabbaticæ requietis transacto curriculo,
Huc simul ut ortus uicerit noctem dies,
Myrrham, costum, spicæq́; Cilissæ acerrimæ,
Et summæ suauitatis unguenta, ueluti
Suprema sacro sepulchro addentes munera,
Celerem quàm primùm referamus pariter pedem.
Sal. O fiat per Deum immortalem, quod petis.
Nil etenim nos (ut pro istis quoq; respondeam) in
Votis

[25]

REDIVIVVS.

Votis habemus, aut in optatis prius.
Nunc neq; lux prona celebrare inferias sinit,
Et hoc ipsum prohibet crastina uacatio.
Quare, mora nulla, primo quoq; tempore
Perendinæ lucis ad hortum hunc properabitur,
Vt monuisti. Locum ritè notauimus.
Ios. Bene habet. restat, uos ut duos, inanibus
Remotis cruciamentis, consequamini.
Sal. Nobis pérplacet. Mag. Ac mihi certè nō displicet.

ARGVMENTVM ACTVS II.

CAïaphas de Christi obitu quodammodò
Triumphat. Eidem obiecta recenset crimina.
Expectat socius, Pilatum qui adiêre, uti
Sepulchrum huius multo seruetur milite.
Custodes adducens, responsa præsidis
Refert Annas. Vallant locum armata manu.
Abeunt. Speluncæ autem tutores illicò
Sese quàm ipsum Herculem plus posse iactitant.
Tum spiritus defuncti ad manes deuolat,
Quæ animæ piorum læti' accipiunt plausibus.
Ille, illas promissum ad polum uictor uehit.

ACTUS II. SCENA I.

Caïaphas.

SEcunda quidem sors est, *et* ad nostram fluens Trimet.
Voluntatem, qua hunc authorem discordiæ,

[26]

CHRISTVS

Antequâm adesset dies ista celeberrima,
Se ualdè digna occisione occidimus.
Qui se passim omnium regem esse gentium, ac
Prolem Iehoua, garrire nunquam destitit.
Qui summi rectoris dominiq́; numina
Sibi adsumens, errata confitentibus
Impunitatem est solitus *et* ueniam dare.
Qui ubi mortale corpus elanguesceret,
Volaretq́; à membrorum mens compagibus,
Ademit penitus omnem pœnarum metum,
Infernaq́; tormenta suos ridere docuit.
Qui uetera retractans iura (si dijs placet)
Nouas quasdam lêges, nouas ceremonias,
Decreta noua, ritus nouos, sacra noua,
Noua *et* inuisa *et* inaudita plurima,
Per uniuersam constituit Rempublicam.
Eisq́; dolis Iudæam sic plebeculam,
Et imperitam undiq; sic multitudinem
Deceperat, fefellerat, induxerat,
Huius et unius obseruarent uestigia, *et*
Tanquam cælesti missum ab arce colerent.
At enimuerò scelus ille suum pectore
Fallaci dissimulare nequibat diu,
Quin familias frequentaret sæpè impias,
Ac se prohibitis consotiationibus
Etiam admonitus neutiquam subduceret.
Tum

[27]

REDIVIVVS.

Tum festis quoq; diebus, queis fas est nihil
Exercere, ipse, ut erat rebelli' *et* pertinax,
Quoscunq; morbos profligauit sedulò.
Quid referam, ut illius consorteis publicè
Illicitis uescebantur impunè cibis?
Atq; ut præter morem illotis manibus etiam, *et*
Contactu spurco fœdarent obsonia.
Quasi uerò Pater omnipotens, nunc denique
Tot sæcula placitas reuocet ceremonias,
Ac mentem nutans peruertat sententia.
Quin etiam (quis probus inultum hoc relinqueret?)
Minitabatur se aras destructurum sacras.
Quod omen in ipsum iustus contorsit Deus.
Sed *et* in templa erecta à nostris maioribus,
Magnificis ac penè infinitis sumptibus,
Voluerat nefarias faces intendere. Ac
Dudum molitus est tenebras offundere
Phœbo, reliquorum moderatori luminum.
Tam adhæc ridiculè stulta erat fiducia, ut
Socijs mœrentibus, ad lumina uitalia
Rediturum sese coràm promitteret.
Sed nimirum, opportunè nos huic malo
Remedium adhibuimus quàm præsentissimum.
Confluxêre ad Pilatum templi præsides,
Mystarum cœtus, turba sanctorum senum,
Pharisæi, Iuris prudentes, qui à satrapa, ad

Vnum

[28]

CHRISTVS

Vnum omneis contendunt, ut armatos uiros
Det, bustum defensuros noctes ac dies.
Atqui, dum redeant, sedes hæc esto mea.

ACTVS II. SCENA II.

Annas. Caïaphas. Dromo. Dorus. Sangax.
Brumax.

HOc in loco iamdudum nos Caïaphas
Amicus noster, unâ expectat cum suis:
Dummodò statutum ei pactum non excidit.
Ellûm sedentem solum. Caï. Ecce autem quem uolo,
Stipatus aduentat militibus quatuor.
Ann. Miror quòd nullus ei adiungitur comes.
Caï. Cur unus adest, satis exputare non queo.
Adsurgam equidem. An. Adibo iamiam, *et* colloquar.
Caï. Nunc addiscam, acta quæ sunt in prætorio.
An. Hem noster: Deus hunc tibi solem det prosperum.
Caï. Et
Tu etiam atq; etiam aueto præsul dignissime. At
Vbinam sunt reliqui? An. confecto negocio,
Penates rursus quisq; petebat suos.
Caï. Bellè factum illud est. pulchrè se res habet.
Sed dicito, quod Romanus responsum dedit?
An. Illum, simul ac ad eius uentum est atria,
Conuenimus, *et* apud eum ista perorauimus.
Aduerti Ponti, imisq́; repone sensibus,
(Nec enim est leuicula res aut parui ponderis)
Quid

[29]

REDIVIVVS.

Quid Ψeudoprophetes uiuus adhuc uulgauerit.
Ego (inquit) post triduum è mortis faucibus
Euadam : *et* ab Orco uicto me reducem dabo, ac
Rediuiuus emergam. Ideò Romulidûm optime,
Forteis *et* fidos ne molestum sit tibi
Tradere, qui sarcophagi tueantur ostia,
Vsque dum tantillum temporis effluxerit.
Nam eius forsan comites cadauer clepere, *et*
Noctu sepultum auferre furto cogitant,
Ac postea totam urbem falsis rumoribus
Implere: qui nusquam est, usuram luminis
Huius recepisse, *et* communem spiritum.
Vt igitur ignis tenuis tenui de fomite
Primûm exilit, mox auctus per totam domum
Furit, *et* flamma lambit extructas trabes,
Ruinamq; patitur ædes diram *et* flebilem:
Ita primo rumore, qui percrebuit
De illius ostentis ac de uirtutibus,
Opinionem istam sequens insania
Multo maiore periculo grassabitur.
Plebes leuis est, *et* inconstans *et* mobilis,
Plebs aucupatur stultorum rumusculos:
Apud plebem ualebunt plus deterrima
Quæuis, quàm si uel optima inculcabimus.
Ergò, donec licet, principij' occurrito, *et*
Insidias pelle præses prudentissime.

Nobisq;

[30]

CHRISTVS

Nobisq́; potestatem facias, ut undiq;
Spelæa circum hastatos sistamus uiros.
Siquidem nauiter *et* cautè prospici
A nobis debet, ut uafri hominis asseclas,
Nostro consilio, spe sua frustrarier,
Planè apparere possit. Atq; hæc hactenus.
Tum Pilatus: Quod uoltis Hebræi, annuo.
Annuo uobis uigilias *et* custodias,
Annuo sepulchri tutores, qui ad crastinum
Vsque diem perpetuas excubias agant.
Sub hæc sigillum, quo hunc locum obsignem dedit,
Cum hisce unà spectatis bellatoribus.
Deinde uiri Solymi, quisq; ad suos lares
Abeunt simul, ouanteis *et* uoti compotes.
Ego, quoniam huc me uenturum ad te receperam,
Memet sponte obtuli, solus qui hos dirigerem.
Idcirco uirilem operam nauate fortiter.
Tu Dromo, latus dextrum occupato. tu Dore
Quò te proripis? Ad cornu fac sinistrum eas.
Illic Sangax, istic Brumax consistito.
Si quis furtum facturus huc accesserit,
Vos post suum Christum hunc ad manes mittite.
Nam præter umbram quod timeatis, est nihil.
Quid multa? magnanimis dictum satis puto.
Drom. hàc
Quisquis uenerit, experietur mehercule̊,

Quàm

[31]

REDIVIVVS.

Quàm aptas Dromo uireis ad uindictam gerat.
Dor. Et in me reperiet cor dignum milite.
Sang. Quicunq; Sangacem uel procul adspexerit,
Eum sola poterit fuga tutum reddere.
An. Quid tu uerò Brumax? Bru. Quid? per caput hoc,
Iurare ausim, quòd si quis fortè obuenerit, (tibi
Aut ego eum occidero, aut is me fugauerit.
An. Quod posterius dixti, credo futurum priùs.
Bru. Imò cognoscito clarissime uir, tam *et* cordatos
Et etiã oculatos, ut nec ire gygas nec muscula (esse nos
Præteruolare per nos impunè queat.
Caï. Quando igitur unusquisq; suum tenet ordinem,
Nos lætum hunc atq; hilarem traducenteis diem,
Expectemu' huius fabulæ catastrophen.

ACTVS II. SCENA III.

Dromo. Dorus. Sangax. Brumax.

HAud frustrà, mento bene barbato ætas mea Trimet.
Voltum ornauit, præsertim cùm mihi mascula
Corda nequaquam desint. Quid est quod ego tremam?
Ecquis tam à uero exorbitabit, ut putet
Muliebrem animum habitare in isto corpore?
O quot ego labores exantlaui bellicos?
Non me durissima fregerunt prælia.
Neque belligerandi disciplina me latet.
Nec à pueris modò, sed ab ipsis cunabulis
Sum armatus feliciter; ac Mauorti meum

Ingenium

[32]

CHRISTVS

Ingenium finxit naturæ benignitas,
Meamq́; genesin Mars influxit ferox.
In me cum lacte materno iuraueris
Esse imbibitam bellatricem iracundiam.
Et hunc formidarem proiectum uermibus?
Quem uicimus, quem uictum ex orbe fugauimus.
Dor. Mihi uerò quanquam in cœlum non prominet
Bicorpor atq; gygantea granditas:
Tamen animum altum, excelsum, generosum, nobilem,
Non uastam, *et* prodigiosam corpulentiam
Iustus rerum æstimator in quoquam exigit.
Nam mutis pecudibus adsimilantur corpora:
Animis æquamur superis immortalibus.
Animisq́; sumus apti sydera transcendere.
Quanta est uis animo, tanti corpus æstimo.
Neq; enim ego magnitudine *et* ueluti gradibus,
Sed potiùs conditione metior uirum.
Virtutem non præstat figura uel statua:
Sed omnis in corde residet uirilitas.
Omninoq́; uirum fortis animus efficit.
Neq; uerò sumus nos ipsi corpora.
Neq; etiam ego hæc apud uos uerba faciens,
Corporibus iam uestris loquor, sed animis.
Est uerum, quod circunfertur prouerbio,
Non mercabor hominem in ulna atq; in pollice,
Ast in precio solus habetur animi uigor.

Quid

[33]

REDIVIVVS.

Quid quòd maiora patent uulneribus corpora?
Quid quòd moles ingens agilitatem impedit?
Quid quòd crassa caro animi uim sepelit *et* obruit?
Exiguæ corporaturæ, nunc si placet,
Vnum ante oculos uestros exemplum ponite.
Minutu' accipiter uos magna docere poterit.
Superant profectò fidem, quæ audet auis tantula.
Obsecro, quàm longum collum, quàm largos pedes,
Quàm acutum rostrum, quàm amplas alas ardea
Possidet? Attamen à dominis cùm dimittitur,
Sinistra hic ales *et* in sublime uolitat: eam
Adoritur atque insequitur strenuissimè.
Ac motis pendenteis tibijs campanulæ
Tubæ sonitum supplent, crescat ut audacitas.
Iamq́; pugnæ huius finem attendite. Vincit minor
Maiorem auis, atq; rapinam apprensam unguibus
Curuis, crebro rotundat orbe uolubilem. at
Quid aureis hisce uestras exemplis moror?
Ne dubitetis, quin modicus ego maxima
Subdere ualeam, si res *et* caussa postulat.
Sum equidem nunc iam seu uiuere præsto seu mori.
Sang. Si quis nimium nimiumq́; temerarius
Iter hàc nobis fucum factum susceperit:
Se cognoscat summo esse periculo proximum.
Nam qui sentit Sangacis quid possint manus,
Nisi me communis philautia decepit,

[34]

CHRISTVS

Se rursum infantem cupiet maximoperè
Inter genetricis adhuc latentem uiscera.
Equidem haud uerear cum Sampsone congredi.
Quid in hoc corpore desideretur? siue quis
Proceritatem siue magnitudinem,
Siue optimè compacta membra expenderit.
Arma illorum, quos exteri celebres habent,
Puto Cyclôpum esse fabricata manibus.
Ita non ad infligendos sunt tantummodò,
Sed ad declinandos ictus habilia.
Num uoltus, in quo cuiusque uelut indoles
Relucet ac uoluntas, me planissumè
Inuictum bello, *et* armis terribilem indicat?
Ac de hisce externis fari plura supersedeo.
Hîc, hîc uiget uis quædam innata *et* insita,
Quæ nil non audet, quod ferro est penetrabile.
Quomq; ars, quod inchoat natura, perficit:
Quid in re militari est, quod scientiam
Fugit meam? Quis me uno bellicosior?
En uobis quæ'nam à prælij' *et* conflictibus
Animosè pugnans, uolnera reportauerim.
Non'ne in bellando mira mihi felicitas
Data est? quando uirus toties euaserim?
Quamobrem, si molientem imposturas modò
Quenquam deprendero, in quem peccarit, sciat.
Bru. Qui me irritans, potis est dextram hanc euadere,
Hic

[35]

REDIVIVVS.

Hic deinceps lucro, quos aget, annos deputet.
Adesdum, qui uitæ capiens tædium, ad
Horæ fatalis punctum cursitare uis.
Ac stabimus hîc socij, hîc unà pugnabimus.
Si quando fuerit opus, si iste caput exeret
Præstigiator, reuicturum quem somniant
Quidam, disseminante' ineptas fabulas,
Perinde quasi posset uel magus Aegyptius
Tam magna operari post mortem miracula. Hoc
Pol mihi nemo persuadebit mortalium.
Nec aureis adhibebo magistris mendacibus.
Ecquando à corporeis functionibus
Qui deficiuntur semel, ab irremeabili, *et*
Clauso barathro suum reducent halitum?
Quid? num uitam retinere facilius fuit,
Quàm nunc restituere amissam atq; perditam?
Verùm illud cùm nequijt, neq; hoc faciet quidem.
Sed quid speremus facturum hunc ueneficum,
Quod nec fuit, nec extat, nec fieri potest?
Ideoq́;, sodales, si comitum manipulus
Hunc suffurari clanculum conabitur:
Armati nudos, strenui infirmo' ac debiles,
Incautos, ita parati persequamur, ut
Nullam esse testentur pedibus podagram suis.
Nemo igitur definitum egrediatur locum.
Det alteri quisque animos, terrorem hostibus

C 2 Horrificum

[36]

CHRISTVS

Horrificum incutiamus, *et* etiam exitiabilem.

ACTVS II. SCENA IIII.

Cacodæmon.

O ô cælum, ô tellus, prata ô Neptunia,
Vos Plutonem recipite, quem tartarus euomit.
Date locum, in quem me liceat abstrudere:
Donec lux tanta, meis resedit sedibus.
Manes. Quàm tu expectatus aduenis clarissime
Olympi honos? Nos quàm replesti gaudio?
Venisti nanq;, uenisti, humanum ut genus
A regnis umbrosis *et* sole carentibus,
Educens, stellanti cælo sic inferas.
Cacod. Oh, iam splendet nouis aër fulgoribus.
Oh, uolitant agminatim ad cælum cælites.
Nunc uisam apud nos commotas tragœdias.

ARGVMENTVM ACTVS III.

AVdistis binorum gesta dierum omnia:
Sequitur lux tertia. Terræ fit agitatio.
Metu fracti tumuli statores concidunt.
Iesus Christus consurgit rursum è funere.
Mariæ uerò cum emptis noctu odoribus,
Valde mâne cauernam adeunt Galileïdes,
Perungant ut corpus telluri creditum.
De Christo multa suo per agros uerba faciunt.
Cùm ad bustum acceditur, *et* de saxo quæritur
Seponendo, insperatis atque subitis

Ab

[37]

REDIVIVVS.

Ab angelis monumentum recluditur.
Hæc Iohanni renunciantur *et* Petro.
Citi adcurrunt, uera experiuntur. Petrus
Animum huc illuc alternans regreditur:
Iohanne' herum resurrexisse indicat.
Pòst Magdaléne sola eò reuertitur.
Compellat nuncios, astat forma Deus
Agricolæ, illiq; se prodit uoce solita.
Ad eumq; modum fit *et* reliquis mulierculis.
Illæ discipulis, hæc narrant incredulis.

ACTVS III. SCENA I.

Dromo. Dorus. Sangax. Brumax.

DEum immortalem, ubinam gentium sumus? Trimet.
Commilitones, quid' nam hoc esse creditis?
Vt omnia confusa ac turbata cernimus?
Vt auræ ruptæ colluctantur in auribus?
Fragore ut ingenti conuulsa uox sonat?
Qui terrarum motus ueniunt in prælia? Vt
Tellus mugit, mouetur, concutitur, fremit?
Credo ego non illam uno duntaxat in loco,
Sed omnibus horrendum tremiscere partibus.
Dor. Bone Deus, è cauea quanta' nam exit fulguratio? Octona. Iambic.
Non armis, consodaleis, hîc est utendum, sed cruribus.
En ipsemet in fuga sum. Sang. Et me fugæ dabo.
Bru. Me item in fugā confero. Dro. Postremus nō ero.

C 3 Quis

[38]

CHRISTVS

Quis post terga sequatur, non curabo quidem,
Si mihi semel dabitur cunctos præcedere.
Sed ô Deus bone, tuam fidem obsecro.
Quid hoc? Heî nullus sum. Do. Perij. Sang. Interij
Brumax. Occidi.

ACTVS III. SCENA II.

Christus.

Trimet. ERgò, sunt rata de me uatum præsagia,
Finemq́; suum propè adepta sunt ac terminum.
Ergò, quod dissolubile modò corpu' extitit,
Quod conditionem habuit, ut posset mori,
Aeternitate iam imbutum, renascitur.
Et omni cum immortalitate æquabitur.
Tuq́; adeò Mors, quæ cæteris hominibus
Nunquam non impendes, ut quod certissimum.
Abiecta protinus hasta, uictorem agnoscito.
In me posthac tantum tibi posse negabitur.
Atque ecce tibi felix *et* faustum nuncium,
Quisquis es ô homo. Nam ut omittam tyrannidem
Octo. 2. Peccati, mortis *et* inferni, à queis liber iam
factus es,
Ego duræ lêgis austeritati pro te feci satis.
Si qua igitur tanti tangit amoris gratia:
Confide, tuam caussam sanguis aget meus.

ACTVS III. SCENA III.

Magdaléne. Cleophis. Chorus Galileïdum.

Bono

[39]

REDIVIVVS.

BOno animo este sorores, magnam partem uiæ Trimet.
Superauimus, *et* multum æquoris confecimus.
Ast, quomodo nunc tecum Cleophis agitur?
Equidem te non tam fessam esse de uia,
Quâm sollicitudine fatigatam arbitror.
Cleop. Vix credas quoties inter eundum mihi
Veniebant in mentem huius ardua facinora.
Etenim memoria repetebam ultima
Tempus, quo Chanan urbem unà cum parentibus,
A ueteri quodam amico accitis, uenerat.
Qui adolescenti cupido, in matrimonium
Locabat filiolam castam *et* nubilem.
Et quum iam epulis optimis pulsa fuit fames,
Atque coronari uina potissimùm oportuit,
Ministrorum murmur cæpit consurgere,
Vacuis cadis Lyæi nihil esse reliquum.
Tum difficultateis miserata domesticas
Pia parens, *et* secum uoluens incommoda:
Nato confestim significabat suo,
Omnem domum absumpto Baccho tristarier.
Simul *et* famulos perbenigna monuit,
Vt quod mandaret eis, obirent sedulò.
Is etsi commotus, primùm caussatus est
Non aduenisse, quæ expectaret tempora:
Tandem tamen sex impleri à famulis iubet
Fontanis *et* puris undis carchesia.

[40]

CHRISTVS

Quæ simul ut heros aspexerat: ecce omnibus
Humor cernebatur subitò rubescere.
Sentit aqua ſuireis insuetas, *et* induit
Nouum quendam saporem alieno ex munere.
Hoc nesciens quidam è numero primarius,
Sponsum appellans, me magna (ait) admiratio
Tenet, quid sit, quòd præter morem [tam diu
Liquorem ambrosiæ similem conseruaueris.
Itaq; stupefacti omnes, priùs incognita
Vehementer admirantur Christi numina.
Suamq́; in eum ſcomites conijciunt fidem.
Fama quoq; fuit, illum super alta maria
Et illæsum ambulasse, *et* summo in gurgite haud
Pedeis tinxisse. audieram *et* eius ipsius
Dicto, compesci agitationes fluctuum:
Et quamlibet proteruos austri spiritus,
Ac uenti flamina uim suam deponere.
Sunt plurima, quæ sæpè Iosephus mihi
Et Iudas, *et* Simon, *et* Iacobus, mea
Dulcissima narrare solebant pignora.
Mag. Imò si animo tuo iam compræhenderes,
Mihi, quæ nota sunt, magìs obstupesceres.
Nec ad stuporem modò res miras êdidit:
(Quod aliqui aliquando fortè præstiterint magi)
Verùm ad salutem operabatur uir inclytus.
Nam si uellem enumerare, haud uerbis consequi
Quot

[41]

REDIVIVVS.

Quot ægris, adflictis, atq; laborantibus,
Quot hominum damnis ac incommoditatibus
Curationem atq; medicamentum attulit:
Non promptiorem haberet finem oratio,
Quàm si cuperem hac dictione persequi
In Lybico quanta iaceat arena littore: aut
Quot orbem stelligerum distinguant sydera.
Nam quos malè Erynnis uexabat pessuma,
Quos æstus ac febris iactabat ignea,
Quos profusis tumens hydrops humoribus
Aut quicunq; etiam alius torquebat dolor,
Ad sanitatem restituebat pristinam.
Quid memorem? numerosam turbam concurrere,
Tam à disiunctissimis quibusq; partibus,
Vidisses quàm à patriæ propinquis finibus.
Cæcosq́; tum *et* claudos, mutosq́; cerneres,
Lucem oculis debitam, pedibusq́; uim suam,
Et eloquendi facultatem recipere.
At illud est in primis commemorabile,
Quod erga fœminam miserandam præstitit.
Ea cu̇m laxis uenis annos duodecim
Flumen fuisset passa impuri sanguinis,
Etsi iam adficeretur morbi doloribus,
Et succo membris exhaustis pallesceret:
Tamen exanguis tantam concepit spem suæ
Salutis apud Christum obtinendæ, ut protinus

[42]

CHRISTVS

Vel multitudine compressa sequentium,
Ad eum ipsum pleno cursu contenderet,
Quò saltem posset amictum contingere.
Vt ergò illum iuxta defessa steterat, *et*
Manum exporgens uestem extremam apprehēderat:
Vim quandam toti subitò infusam corpori
Persentiscit, uenasq́; patenteis claudier.
Mulier Iesum latuisse facinus hoc putans,
Se cogitabat clanculùm subducere.
Verùm fugientem scius ille reuocat,
Coràm in medio ut factum fateretur lubens.
Eamq́; subtrepidam ac timidiusculam,
Sui colloquij suauitate recreat.
Quid, quòd *et* ab inferis quosdam excitauerit
Morte oppressa? Cùm enim ab ora Sydonia
Veniens, Naymam adijt suis comitantibus:
Ecce, puelli egregij corpus miserabile
Feretro impositum, *et* uita defunctum conspicit.
Genetrix mœsto complens ululatu uiam,
Filiolum immaturo flet raptum funere.
Hanc Iesus noster ut uidit, mox parcere
Querelis iubet: *et* imperat corpusculo, ac
Denuò gelidis membris insinuatur anima.
Ipse uelut expleto somno, surgens puer:
Aperto se capulo (cunctis mirabile)
Viuum extollit, *et* exiliens matrem amplectitur.

Nec

[43]

REDIVIVVS.

Nec ita multò pòst, idem ille uirginem,
Quæ naturæ uitam reddiderat, cui calor
E pectore, *et* omnis dilapsus erat spiritus:
Amisso iterum isthoc donauit lumine.
Sed enim nunc tandem ad tumulatum uenimus.
Hîc si uidetur, ponamus uestigia.
Vos facitote, è gremijs ne quid odorum excidat.
At, quis'nam hæc à clauso sepulchro grandia
Saxa euoluet, sepulchralia nos debita ut
Possimus hîc persoluere? Dimet.
Circunspicite, si propè quisquam auxiliariu' est.
Hui, quid hoc est? Atat, os monumenti patet.
Intremus. hem, perij: nihil hîc relinquitur.
Quàm uereor, ne quis etiam in extinctum sæuiat.
Quò properem? ubi quæram? quos uestigem? nescio.
Est animus tamen adire cum primis Petrum,
Eumq; hac de re certiorem reddere.
Cleo. Quæso matres, ut ab hoc loco terroribus
Pleno, uelitis mecum unà secedere.
Vix mente consto, *et* cor extra se ponitur.
Nuper latratu reboabat tellus, ita ut
Nubes refracto responderet aëre.
Nunc quid sibi tumulus inanis uelit, *et* pate=
Factum claustrum coniectura non adsequor.

ACTVS III. SCENA IIII.

Iohannes. Petrus.

Videlicet

[44]

CHRISTVS

Trimet. VIdelicet, certò sciebam iam antea
Me facilè posse Petrum cursu præuertere, ac
Priusquam ille huc tardo gressu perrexerit,
Mihi licitum erit audita inuisere.
Papè, quid ego uideo? nil, nisi linteamina.
Sed iam accurrit senior, *et* crebro spirituum
Vireis uento restaurat. Petr. Quid, quid obsecro
Fit Iohannes? Vera'ne mulier omnia
Rettulerat? Ioh. omnia Simon uerissima.
Pet. Ingressus es? Iohan. Nequaquā, at conspexi tamen
Humi positum *et* iacentem pannum linteum.
Omnino, sese nusquam humatus obtulit.
Pet. Introëamus, *et* exploretur meliusculè
Cauerna. bone Deus: ecce uestem linteam,
En qua caput inuoluebatur, calanticam.
Nihil est prætereà, ne trahamus hîc moram.
Octona. Huî profectò res mihi magna uidetur ac
mirabilis.
Octona. Equidem hercle operam dabo, ut unde *et* quorsum
hæc fiant, intelligam.
Abeamus. Ioan. Sine dubio meliora dabit Deus.
Quid ni reuixisse putem? Etenim eum si quis hinc
Furatus esset, non quæq; locasset ordine:
Sed uestes arripuisset cum corpore.

ACTVS III. SCENA V.

Magdaléne. Angelus I. Ang. II. Christus.

Reuiso

[45]

REDIVIVVS.

REuiso meæ portum atq; auram anxietudini.
Nam iterum atq; iterū uel introspicere tumulū,
In quo membra Galilæi sunt recondita,
Meum dolorem non mediocriter leuat.
O utinam, utinam, hunc rursum erectum cernerem,
Vt pridem germanum intuebar, qui incubans
Telluris gremio, iacuerat quatriduum.
Hei mihi, quòd precio, quòd precibus, quòd lachrymis
Obruta duro fato uita redimi nequit.
Ang. I. Quā tu ô fœmina uoce *et* querelis indicas
Tristiciam? Ang. II. Expedias matrona integerrima
Quid sit quòd êdere ploratum non desinis.
Mag. Eximij, pulchri *et* formosi adolescentuli, ex
Hoc monumento nescio quis herum abstulit meum.
Sed nec misera quonam deportatu' est, scio.
Væ mihi. Quid subitò obstupuistis perterriti?
Chr. Mea mulier, hoc unum mihi uelim edisseras
(Modò fides dignitasq́; patietur tua)
Quæ tantæ caussæ est lamentationis, aut
Quem uix orbe fugatis umbris iam quæritas?
Mag. Dabis hoc bone agricola uel facilitati tuæ,
Vel desiderio meo, ut si dum hortulo
Prospicis, ac metuis Iudæos, eum aliò
Detuleris mihi significes, ubinam nunc siet.
Tutò *et* honorificè illum terræ mandauero.
Quin certum est, quare stupefiebant iuuenes,

Ab

[46]

CHRISTVS

Ab his cognoscere.
Chr. Maria. Magda. hem, mi magister? Chr. optuma Magdalis
Noli adeò elata lætitijs incedere, *et* exultare de carnis præsentia, ut
Nihil intereà de me sublime cogites.
Caue putes, te intueri morti obnoxium
Hominem, ut priùs, aut ea necessitudine
Vobis coniunctum: sed supremo cum patre
Ipso in cælo regnaturum perenniter.
Animum erigito, mente alta *et* insuperabili
Dimet. Feraris ad cælestia.
Quin uade, rei tantæ ut fias prænuncia,
Eisq́;, quos fraterno amore prosequor,
Quorumq́; naturam induere mihi placuit,
Dic me dein cælestem occupaturum thronum,
Cum nostro unà parente indulgentissimo.

ACTUS III. SCENA VI.

Cleophis. Chorus Galileïdum. Angel. I. Ang. II. Christus.

Trimet. HVc huc nosmet referamus, *et* experiamur an
Reuersio spem deturbatam reintegret.
Sed nunc memini, ut non solùm animo commota eram
Dudum, sed *et* corpore toto perhorrui.
Ang. I. Quid uos horretis ô matres? omittite
Metum *et* formidinem, nam isti iure optimo, ex=
Animantur

[47]

REDIVIVVS.

Animantur consideratissimi homines.
Vestram nihilominus mœsticiam dehinc noua, *et*
Aeternùm perfruenda uincant gaudia.
Quandoquidem quem uos hinc ademptum plangitis,
Debellato Erebi rêge, imis ex manibus,
Rursum has in lucis oras uictor prodijt.
Non est quòd eum existimetis mortuum.
Aethereis iam uescentem auris, *et* integrum.
Imò uobi' in mentem uenire debuit,
Quod adhuc in Galilæa uersatus dixerat,
Oportere satum uirgine incidere in manus
Sceleratorum hominum, *et* figi funestæ trabi,
Quô cunctorum suapte sponte crimina
Deleret, *et* cum sole rediret tertio.
Ang. II. Nazarenum uos uelle non sum nescius,
Qui superiore die animam efflarit cruce.
A iure mortis exemit se, *et* uinculis
Expedijt, hinc uicturus æuo perpete.
Quod cum terna luce renasci promiserat,
Reuera *et* facto nunc fidelis præstitit.
Accedite, adsistite, oculis omnem locum
Perlustratote, qui uacuus cadauere,
Signum etiamdum effigiemq́; sepulti corporis
Retinet. Et exuuias, quibus implicatus est.
Si non facilè adduci potestis, ut mihi
Credatis, nec persuadeat oratio mea,

Vobis

[48]

CHRISTVS

Vobis præsentia præsentem hæc facient fidem.
Quare hisce uestris officijs opus haud erit,
Quin hinc potiùs uos nulla interposita mora
Recipite *et* istam rem mox reliquis ostendite.
Sui ducis *et* capitis qui deplorant necem:
Sed seniori Petro in primis, cui scilicet
Ter abnegatus herus gemitum conduplicat.
Cuius conspectum si cupiscunt, conferant
Iter ad Galilæam, ubi eundem uiuum uiderint,
Per hæc quem collugent tempora demortuum.
Dixi. Cleo. Videam. Ecastòr, ita sese res habet.
Eamus, nunciemus discipuli' omnia.
Chr. Saluere uos iubeo Mariæ Galileïdes.
Abijcite pauores ex animo, qui expectorant
Intelligentiam, *et* intrepidè me attendite,
Ne non sanum sit attonitis in sensibus
Iudicium, surgite, *et* his osculationibus
Finem facite, *et* hinc celeriter nunc uadite,
Meisq́; uisa monstratote fratribus,
Vt in Galilæam post me proficisci queant.

ARGVMENTVM ACTVS IIII.

EGressis fœminis, ad sese milites
Redeunt, *et* uisa sacerdotibus indicant.
Interea, quæ iussit Christus Galileïdes,
Discipuli' exponunt. Sed pharisæorum quidem
Posteaquam

[49]

REDIVIVVS.

Posteaquam in parteis distractum contraria', *et*
Nil certo statuens concilium dimittitur:
Delegatur Alecto statim à cacodæmone,
Quæ aurum singulis præberi militibus monet,
Orationem ut commutent, *et* falsa pro
Veris fidenter in apertum proferant.
Hij, sicut erant edocti, faciunt sedulò:
Ac inficias eunt Christum esse superstitem.
Itaq; *et* custodes, acceptis pecunijs
Lætantur, *et* recedens quoq; Caïaphas
Elatus insolenti exultat gaudio,
Quia res processum habet ex sua sententia.

ACTVS IIII. SCENA I.

Brumax. Sangax. Dorus. Dromo

EQuidem animi pendeo hoc quid sit negocij, Trimet
Quorsum hic stupor alienatioq́; sensuum.
Ego sic timeo ut rerum nullam quodammodò
Perceptionem habeam, socij uerò mei
Timore stupidi obmutuerunt, strenuus modò
Ipse mihi uidebar, sed quò confidentia
Quò nunc animi uis, quò pristina generositas
Recessit? hei iacet sepultum in pectore
Omne meum robur, *et* omnis abest audacia.
Tentabo tamen si qua spes adfulgeat
In socijs. Tu Sangax, tu, inquam, Sangax age,

[50]

CHRISTVS

Surgito, ne paueas, in tuto sunt omnia.
Sang. Abierunt'ne igitur, abierunt fœminæ, aut
Furiæ potiùs *et* flammis corusci dæmones?
Bru. Abiêre mihi crede. Excitemus nunc Dorum.
Heus heus Dore: Ocyus ô Dore expergiscere.
Expergiscere Dore. Iam nihil est periculi.
Dor. Exurgo, modò non sit quidquam discriminis.
Ah, uix apud me sum, tremor ita me occupat.
Bru. Quam tandem hanc esse metamorφωsin autumas?
Tam'ne citò accipitris dedidicisti audaciam?
Sed, ut uidetur, Dromo nec haurit anhelitum,
Nec spiritum ullum êdit. Dromo. Dromo. Dromo.
Quid, humi prostratus, longus ut es, Dromo iaces?
Atat, auras incassum stultus diuerbero,
Surdisq́; auriculis me præconem præbeo.
Obsecro uos, uos aureis implete flatibus.
Sang. Dromo. Do. Dromo. Sang. Dromo. Do. Dromo
San. Dromo. Do. Dromo.
Bru. Hem salua res est, nobis Deus hodie fauet.
Anhelat nunc breui subinde spiritu.
Quid agitur Dromo? Agedùm temet iam collige.
Reuocato animum. Trepidandi causa euanuit.
Dro. Quis Dromonē appellat? Bru. fortunæ particeps
Tuæ Brumax. Age surge, ego te fulciam.
Tenebo labentem, *et* corruere non sinam.
Dro. Heu uireis deficiunt. Bru. brachia exporgito.
Dro.

[51]

REDIVIVVS.

Dro. Quis me, quis appræhendit? Brumax. Brumax dico tuus
Consocius. Surge, surge. Dro. animo malè est meo.
Cor contrahitur, debilitatur, tremit.
Mirè uexatur caput, *et* sensuum organa
Vix functiones præstant etiamdum suas.
Incredibiliter mihi metus ossa concutit.
Horrorq́; occupat extremas parteis corporis.
Verùm sinite me respirare paululum.
Bru. Tandem, ô, tandem nobiscum abige formidinem.
Tenuit *et* hic nos pallor crepitusq́; dentium,
Euasit homo cum suis fallacijs,
Ac præstigijs, neq; nos terrebit amplius.
Atqui quod facto confestim nunc est opus,
Faciam, hæc ut cognoscant sacerdotum duces.
Addito te Sangax adsectatorem mihi,
Tu uerò te Dore Dromoni adiungito.
Dor. Vos non ita longo interuallo comitabimur.
Quid nunc mi homo, reuixisti'ne bone Dromo?
Quomodo uiget robur uetus in corpore?
Dro. Bene iam, sed longè melius opinor foret
Mecum, si quàm primùm locum hunc relinquerem.
Dor. Fiat, sequamur præeuntes boni' auibus.

ACTVS IIII. SCENA II.

Petrus. Magdaléne. Chorus discipulorum.
Cleophis. Chorus Galileïdum.

D 2 Quid

[52]

CHRISTVS

Trimet. QVid narras Magdaléne? certa'ne prædicas?
Mag. Certissima. Pet. Sic scilicet ut dicam tibi.
Equidem tuos pauitanti' oculos existimo,
Vana quadam ac falsa lusos imagine.
Nam ueluti per quietem sepenumerò
Facit in se reflexa cogitatio,
Eorum uultus *et* simulachra cernere,
Quos maximè desideramu' interdiu,
Sic uel metum, uel amorem uel utrunq; te
Aut rapuisse, aut coniecisse reor in extasin,
Ita ut non secus ac mentiens quidam sopor
Sensus inanis præstringens fefellerit.
Cho. disc. Quid'nā hoc tandē est? Ain tu quæso? denuò
Nostrum uiuere dominum? Dic,
age, dic bona
Nec aliena fide, ut sese tibi obtulit?
Longam (sîs) narrandi continuatio seriem.
Et à capite ad calcem, iuxta prouerbium,
Singula diducito. De illo audire quidem iuuat:
Vtut, quod profers, parùm, sit probabile.
Mag. Quum de uacuo busto, tibi dixeram Petre:
Me recipiebam protinus eodèm loci.
Cumq̃; illò adueneram : eccè repentè mihi
Et nictu oculi, splendenteis albis uestibus
Apparent iuuenes. In uultu plurimus honos,
Et cœleste decus toto effulsit corpore.

Haud

[53]

REDIVIVVS.

Haud nostra stirpe, exortos esse dixeris:
Sed administros superûm speciosissimos.
Hij uerò à me caussas exquirunt questuum.
Sublati heri desiderio me confici
Respondeo. Quibus dictis à tergo stetit.
Tamen illum nesciebam: ut qui mihi se obuium
Dedit ignoti sub hortulani schemate.
Credo, ne si glorificam sumpsisset faciem:
Exanimasset me miseram præ formidine.
Cho. disc. Quî scis igitur, Christū esse, quē cōspexeras?
Mag. Agnoui ex uoce. Nam cùm ab eo digressa sum:
Statim reuocata notum accipiebam sonum.
Quinetiam Mariæ me appellabat nomine.
Tunc ô tunc menti quæ infundebat gaudia?
Quæ tunc toto expellebat corde tristia?
Sic nube sub nigra quum deprensa est dies,
Quum cœlum squalet ac sol umbris conditur:
Aura exurgens sub Oceano, aut è montibus
Tenebras depellit, nubilaq́; dissipat,
Lætamq́; nitido faciem restiuit polo:
Omnino taleis sentiebam in pectore
Motus, taleis triumphos, tamq́; seriò
Tum gestiebam, ut iam nihil mirum mihi
Videatur, quod uix poteram olim credere,
Expirasse aliquos hilaritate nimia.
Et ille gaudium bene temperat meum,

D 3 Iubetq́;

[54]

CHRISTVS

Iubetq́; non tam corpus intuerier,
Quàm oculis animi diuinum honorem, *et* ipsius
Membra deinceps planè facta immortalia.
Demum superiora poli palatia, ad
Patrem se nostrum dixit uelle ascendere.
Ego uerò exprimere læticiam cogitans,
Ter sum conata loqui, ter eum affarier
Incipiebam, solitasq́; uoces promere:
Sed mihi ter hæsit lingua prorsus mutilis,
Ter in summis labris mihi destitit sonus.
Dumq́; hæreo, quæ prima sumam exordia,
Nimis auidos reliquerat sensus meos.
Hæc summa est, hæc ut folia Sibyllæ credite.
Hæc uoluit, ego uobis ut prima panderem.
Cho. disc. Nimia mira, ô socij commemorat Magdalis.
Pet. Sunt incredibilia profectò, atq; ante hunc diem
Inaudita. At, quid hoc, quòd tam uelociter
Cleophis cum Galilæis huc aduolat?
Metuo ne quid eis obtigerit incommodi. At–
Tendamus. Ad nos rectà pergunt. Cleo. uidimus
Eia, eià uidimus (ô uiri) illum uidimus.
Pet. Quem′ nam illum? Dic age. Cleo. Vidimus, inquam,
Illum ipsum Christum, quē putatis mortuum. (uidimus
Pet. Supreme Iehoua. Captum hæc superant meum.
Scio, esse uos nec mendaceis, nec perfidas:
Ipsa rei magnitudo tamen fidem negat.

Amabò

[55]

REDIVIVVS.

Amabò, narra, quæ uidistis omnia.
Nam ad audiendum animos iamdudum ereximus.
Cleo. Primùm omnium, ut illò accessimus, ut in limine
Sepulchri stetimus, ecce tibi, duo iuuenum
Pulcherrimorum corpora.
Quid quæris? omnia ex parte fuêre splendidi.
Solantur. Quidq́; in Galilæa pollicitus est
Longè anteà Christus, reuocant in memoriam.
Nudum locum ostendunt, in eoq́; residuas
Exuuias. Atq́; nominatim te Petre
Voluêre Euangelio hoc per nos recrearier.
Hæc dixerant. Metum autem nostrum gaudia
Nunc uincunt, nunc eo mutuò uincuntur, *et*
Sese uicissim retrudunt pugnantia,
Atq; uiceis alternant spes *et* timor, usque dum
Nos ipse alacriter salutauerat herus,
Et aspectu ac sermone suo refecerat.
Qui se confirmabat, in ora Galileïde
A uobis omnibus uelle dein conspici.
Tum ab amplexu sistimus. Habetis ad omnia.
Pet. Multa audiui, multa inspexi, multa didici,
Multa memini : nihil post hominum memoriam
Tale accepi : nihil omni ætate huiusmodi
Cognoui : undè induci non queo, ut adsentiar.
Quoquomodo sit, nos nota adeamus loca.
Cho. disc. Eamus, *et* eas ueridicas faxit Deus.

D 4 ACTVS

[56]

CHRISTVS

ACTVS IIII. SCENA III.

Caïaphas.

Trimet.

DEum immortalem, quæ, quantaq́; miracula
Modò mihi memorauit Brumax? quemadmodū
Imposita sigillisq́; obsignata adhuc petra:
Tamen erexit se tumulatus. Ac duo
Lapidem dicto citius amôrunt angeli.
Vt antra sonabant occultis mugitibus,
Ventisq́; furebat solum pugnantibus.
Et eorum, quasi si occubuissent, iacentium:
Vt artus, intercepta anima, tenuit tremor.
Vt auram neq; dedit neq; suscepit Dromo: ut
Vt sine colore, sine uoce, sine mente iacuit.
Quomodoq́; audierint alloquenteis fœminas,
Ministros angelicos, de cœli gente. Ita ut
Dubium non sit, uiuere Christum xylonicum.
Quid igitur? Quid nunc faciundum nobis erit?
Per urbeis ne hic rumor Palæstinas eat?
Nisi maturè uolgi sermoni occurrimus,
Ni astu famam premimus atq; extinguimus:
Actum de nobis est, sine controuersia.
Væ nostro tum ordini, uæ nostris mercibus.
Ibo, *et* cogam consilium in unum pectora, *et*
Legum, *et* religionis ritus callentia.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

Cacodæmon. Alecto.

Orcicolæ

[57]

REDIVIVVS.

ORcicolæ ô proceres, tartarei ô principes,
O Acherontæi magnates itinerum,
Voluntatum, sententiarum, facinorum,
Laborum, rerum deniq; nostrarum omnium
Socij perpetui, nullisq́; fatigabileis
Periculis, mementote, ut nos perpeti haud
Potuistis infandam conditionem, poli
Quando regnator nobis anteponeret
Hominum genus, ac nos deturbatos æthere,
Formidanda ui fulminis detruderet
In hæc loca tetra, horrenda, subterranea,
Terribilia, fœda, senta situ *et* squallida.
Probè hanc ulti estis luculentam iniuriam.
Nam horto Paradisiaco expulsum patrem,
Suamq́; sobolem eius contactam crimine,
Nobiscum ad sedes deuexistis infera', ac
Immani ditastis præda stygios lacus.
At enimuerò, humana sub nube *et* imagine
Deus occultatus, nuper hominum gratia, in
Terras descendit: illiusq́; spiritus
Apud nos hîc iamdudum, ut nostis, adfuit.
Quo præsente expauimus. Infernas hic domos
Reclusit. secum ingentem abduxit copiam.
Fuit, fuit tempestas, qua nostro iugo
Vel integrum terrarum orbem subiecimus.
Ast quæ nunc tanta nos tenet socordia?

D 5 Vbi

[58]

CHRISTVS

Vbi nunc antiquæ uireis, arteis, machinæ,
Doli? Vbi nunc prisca imperij nostri gloria?
Sic′ cine multis nobis regia spoliabitur?
Sic′ cine rem prolabi patiemur desides?
Audite potiùs quæ mea sit sententia.
Christum interimebant Iudæi, hic se reddidit
Vitæ. Res iam multis Hierosolymarijs
Manifestior est, quàm ut dubitari queat.
Trepidant sacerdotes, semper amici fidissimi
Qui nobis extitêre: atq; hoc ne in publicum
Emanet, ponere student retinacula.
Id ad amplificandum nostrum regnum tam ualet
Quàm quod uel plurimùm. Hîc opibus uestris opus.
Viru' inspirate furtim animis mortalium, ut
Hæc tam mirabilia negent increduli.
Atqui (quod caput est) prodi, prodi mens mea,
Alecto prodi, cincta colubri *et* anguibus.
Tibi mille nocendi arteis fœcundo in pectore.
Tuum hoc erit munus, tuarum partium, ut
Mystas ancipites consilio iuues tuo.
Fac nummis obturetur os militibus, ut
Quidquid uiderunt, se uidisse pernegent.
Vadito, manibus pedibusq́; obnixè rem agito: nunc
Tentamentis peropus est, ac fallacijs.
Properato, horam utilem utiliter transmittito.
Alect. Citò imperata peragam adamussim tua.

ACTVS.

[59]

REDIVIVVS.

ACTVS IIII. SCENA V.

Alecto. Caïaphas.

O Mea quantum Adonij.
Penè apud omneis
Numina possunt?
Namq; ego semper
Ocyor euris,
Cursito nunc huc,
Nunc feror illuc.
Ac ea spargo
Dira uenena,
Quæ mihi cornu
Diuite, sæuus
Sufficit orcus.
Num tibi restim
Ipsa ferebam
Perdite Iuda?
Et tibi nummûm
Plena crumena
Est data, quorum
Sacra fames co-
Egit herum te
Prodere iustum?
Sic similem rem,
Nunc faciam, quô
Qui modò uiuit,

Vsque

[60]

CHRISTVS

Vsque putetur
Mortuus esse.

Trimet. Euge, euge, eccum illum ipsum, quē uolo. Deus bone: ut
Ingreditur dubitabundus, *et* animum scindit in
Varias parteis? At paulisper ego tacita
Hîc auscultans, cautè obseruabo, quid nam agat.
Pòst, hominem adoriar, sicubi tempus monet.
Caïa. Non hoc mehercules mihi conuenticulum
Esse uidetur, hominum deliberantium:
Sed toto (ut aiunt) cœlo discrepantium,
Aut, quod ego uerè affirmem, delirantium.
Vnum aut altrum Annas sublimi è solio rogat,
Sententiam hac de re, ut pronunciet suam. Hic,
Quæcunq; uos, ait, iniüngitis, ea perplacent.
Ille, in ponderosa, *et* seria *et* graui,
Certum spacium deliberandi postulat.
Alius, posse negat rem tantam occultarier.
Alius, ipsum Christum, iteratò occîdi uelit.
Reliqui nihil habuerunt, quod dicerent.
Sum itaq; multò incertior, ac dudum abiueram.
Alect. Hūc ego tibi, si uis, bone uir scrupulū adimā: *et*
Paucis expediam, quid fieri oporteat.
Caïa. Quin immortali me tibi deuincies
Beneficio mortalem, si hoc effeceris,
Charissima domina. Alect. Pone metum, effectum dabo.
Inprimis, tumuli custodes argenteis

Fac

[61]

REDIVIVVS.

Fac superes muneribus, ut quæ uera sunt,
Nec proferant, nec diuulgent quouis modo.
Nummus rex, rex nummus, quid non facere potest,
In omnibus negocijs? Dimet.
Dicam, quod sentio, omnipotens pecunia,
Dat sola robur, uimq́; sola sufficit.
Quamobrem agitodum, *et* isthæc prædicta perfice,
Tibi quæ monstraui Furiarum ter maxima. Hîc
Scopus, hîc meorum uerborum meta est breuis.
Caïa. Quàm maximas habeo tibi diua gratias.
Nemo homo potuit melius consilium dare.
Geretur herclè mos tuis hortatibus.
Alect. Hei, nunc ergò nunc feci precium operæ, *et*
Nostro pergratum, perq́; iucundum gregi.
Multas regione' opplebit hæc opinio,
Quòd Christu' è mortuis non exurrexit.
Imò perficiam, ut apud mundi huius filios
Pium esse uideatur, eos occidere,
Quicunq; syncerè ipsius à morte reditum,
Et inde partam gratiam deprædicent.
Sed me, sat scio, Tartareus expectat chorus,
Re benè gesta, hinc memet recipio domum.

ACTVS IIII. SCENA VI.

Caïaphas. Dromo. Dorus. Sangax.
Brumax.

In

[62]

CHRISTVS

IN hisce manibus est loculus pecunijs
Distentus *et* non pauco argento turgidus.
Intus latet, quod operatur miracula.
Intus latet, quod nil non cogit pectora.
Est intus, quod diuinam uirtutem exeret
Citò, atq; me magno exonerabit metu.
Nec dubito, quin hoc erit Annæ gratissimum.
Atq; etiam reliquis nostri ordinis hominibus.
Satius est unius obscurari gloriam,
Quàm tot nostrûm egregios honores eripi.
Ecce autem, commodum aduentare uideo
Dromonem *et* Sangacem, Brumacemq́; *et* Dorum,
Qui me leuabunt huius onere marsupij.
Dro. Salue pie præsul. Do. Salue antistes optime.
Sang. Sis saluos uir clarissime. Bru. Aue ipsa sanctitas.
Dro. Parmenoni seruo dedimu' obuiam tuo,
Qui te significauit, nos uelle colloqui.
Caïa. Volo certè quidem : quare animum aduortite.
Tu Dromo Christum esse rediuiuum non ambigis?
Dro. Equidem huius tibi rei argumenta protuli,
Neq; pauca, neq; parua. Nimis apertum illud est.
Caïa. Quid dicis Dore, sic' cine se res habet?
Dor. Ita factum prorsus est, ut te docuit Dromo.
Caïa. Adfirmas ne tu Sangax hæc eadē? San. qdni ego
Adfirmem, qui unà cùm his in re præsenti fui?
Caïa. Quid tu aūt Brumax? Bru. Id quod socij dictitāt.

Caïa.

[63]

REDIVIVVS.

Caïa. Tacete, *et* mentem ad ea, quæ loquor, intendite.
Debetis nostra in uota condescendere,
Nisi exciderunt permulta in nos promerita.
Dro. Quid est? quod pro te aut uestræ classis quopiam
Recusemus? Dor. Nil medius fidius, id nisi
Summo fiat nostro damno atque incommodo.
San. Dic egregie sacerdos, præstabimus,
Ne dubita. Bru. Si uereis requiras corporis,
Faciemus, quod cordatos milites decet.
Dummodò non uersutis opponamuur magis.
Sin animi uirtutem, constantiam, fidem,
Quis non sentierit quoduis cum tali duce?
Caïa. Statuunt primates uim certam pecuniæ
Vobis donare, ueruntamen hoc nomine,
Vt singulis quibusque interrogantibus,
Statim *et* semper respondeatis in hunc modum:
Quòd nocte intempesta, ut latrones perditi,
Corpus clâm fallaceis tulêre comites,
Ac furati sunt uobis dormientibus.
Quòd si commentum hoc ad uestri aureis præsidis
Delatum erit, nos illi persuadebimus,
Et nos tutos in portu collocabimus.
Dro. Lubenter adsentimur. Do. Conditio placet.
San. Cur non authoritatem tantam imitabimur?
Bru. Sequimur decretum longè consultissimum.
Caïa. Accipite, unusquisq; thesauro ditabitur.

Agitote

[64]

CHRISTVS

Agitote dum, eloquimini. quid dicitis?
Dromo, erexit′ ne se Christu’ ille à tumulo?
Dro. Non. Caïa. Quid′ nam ergò? sepulchrum uacuum fuit?
Dro. Nox erat, exanimum clepserunt corpus alumni.
Nostra quidem tum membra sorpor Lethæus habebat.
Caïa. Dore, dic mihi bona *et* Iudaica fide,
Iesus in busto cur non repertus est?
Dor. Abstulit hūc furtiuū agmen dominātibus umbris,
Cùm nostros oculos premeret mera mortis imago.
Caïa. Num′ nam *et* tu Sangax cantionem istam canis?
Dic quid habeas animi super hac re. dicito.
Sang. Funus iners noctu comites rapuêre dolosi,
Quando quies nostros nectebat languida sensus.
Caïa. Brumax tua superest unius adsentio.
Quomodo per omnia res acta est? edissere.
Bru. Surripitur gelidum media iam nocte cadauer,
Cùm nos fessa graui dederamus corpora somno.
Caïa. Laudo uos, quòd in ea diutius hæresi
Non perseuerabitis. istuc sapere quidem est.
Dro. Nemo tam nulla mente, uel tam nullius
Est consilij, qui respuat pecunias.
Dor. Conspiranteis animos, tam concinnat citò
Nihil, quàm hæc regina sacro sancta pecunia.
Sang. Quis est mortalium omnium, cui inest mica
Sani cerebri, qui hanc non ueneretur *et* colat?

Bru.

[65]

REDIVIVVS.

Bru. O uos terq́; quaterq́; beatos, queis contigit
Tanta laborum merces, quantam uix tempore
Longo, aut talus nobis, aut alea dederit.
Dro. Valeto fortunarum nostrarum omnium
Auctor locupletissime. Dimeter.
Do. Deus te seruet nostri (ut res ipsa loquitur)
Thesauri supremum caput. Dimeter.
Sang. Tibi noster patrone beneficentissime
Dies agantur candidi. Dimeter.
Bru. Pro hisce opibus here Iehora summis tibi
Opem sempiternam ferat. Dimeter.
Caïa. Valete simul uiri fortissimi *et* optimi.
O faustam, ô niueam, ô peramœnam hanc istam diem.
Meos' ne labores operas atq; uigilias,
An prolixam diuæ bonitatem, an tempora
Vehementiùs extollam, planè nescio.
Quemadmodum etenim cùm sub nebuloso aëre
Et opaco cœlo sensus quodammodò
Hebescunt, *et* cuiq; suum corpus oneri est,
Tum si radios fortè Titan splendidos
Fundens, fugam atris nubibus indixerit,
Mundoq́; arridens ore læto affulserit,
Quam mox erectam à corporeo pondere,
Animalem illam hominis partem spe ditissima
Pascit, quasiq́; consopitos spiritus
Permulcet, incitat, fouet, exuscitat:

E Ita

[66]

CHRISTVS

Ita mediusfidius, furiæ præclarissimæ
Beneficio, sum usq; eò exhileratus denuò, ut
Qui dudum adueniens, cogitabundum hunc animum
Omnei' in parteis dubitatione ueluti
Suspensus distribueram, nunc deniq;
Recedam, noua *et* insolita prorsus læticia,
Et alacritate perfusus mirabili.

ARGVMENTVM ACTVS V.

QVoniam cùm Thomas Didymus aberat,
Intrans heros fenestris atq; foribus
Clausis, se discipulis ostentarat suis.
Illi reuerso uiuere conclamant herum.
Qui ut finem narrandi faciunt, ecce Cleopas
Alio loco, inquit, se conuenisse dominum,
Ad Emauntem dum iter castellum suscipit.
Quæ cùm cunctis uiderentur certissima,
Vnus Thomas se posse credere negat,
Tantisper dum improuisus adest iterum Deus,
Eiusq́; dubitatis confirmat fidem.
Pòst illos *et* dictis *et* factis instruit,
Quibus per populos dispergant noua gaudia.
Ad extremum autem undeni proceres admodum
De Christo rediuiuo plaudunt ad inuicem,
Salutem gratulanteis ac uitam sibi,
Deo reddenteis gloriam.

ACTVS

[67]

REDIVIVVS.

ACTVS V. SCENA I.

Thomas. Petrus. Cleopas. Amaon.
Chorus discipulorum.

O Socij, neq; enim sumus antè malorum inscij, Trimet.
Vnde hic stupor, unde hoc mirum silentium?
Credo equidem ardentem *et* igne coruscum spiritum
E nube ruisse, *et* penetrasse hanc domum:
Ita statis trepidi, ita uos horror quatit.
Pet. Nullo pauore perculsi obstupescimus
Thoma frater: uerùm rei miraculo
Et nouitate attoniti ualdè reddimur.
Quam si plenè pernosceres, te, sat scio,
Velle lachrymas effundere præ gaudio.
Tho. Ne uiuam, si non quid sit acciperem lubens.
Pet. Lubentior ego rem omnem enarrauero.
Præsentem uidimus, loquentem audiuimus,
Ipsum Christum rediuiuum, quem nos modò
Multatum morte, *et* ademptum suspirauimus.
Tho. Quid prædicas? quæ uox aureis intrat meas?
Is per Deum, iam respirat' ne denuò?
An potiùs elusit simulachrum umbratile,
Et effigies quædam nobis apparuit?
Pet. Thoma, Thoma, illũ ipsum, haud incerta prædico,
Illa ipsa retinentem etiamdum uulnera
Aspeximus: ac membra palmis pertrectauimus.
Tho. Ita' ne uerò? quæso expone seriem

E 2 Rei

[68]

CHRISTVS

Rei totius gestæ, atq; id bona fide.
Pet. Vespertinum tempus erat, occlusæ fores,
Occlusa fenestrarum etiam foramina.
Nos tenuibus escis *et* potionibus
Corpora refecimus *et* uireis reuocauimus,
Et ad unam cuncti mensam consedimus,
Quandò ille repentinò corâm in media domo
Diuino lumine circumseptus constitit.
Nos credenteis inanem adesse spiritum :
Primo aspectu tremebundi exhorrescere
Cœpimus, ac præ metu mensas relinquere.
Tum Christus, degenerem formidinem arguens,
Quid, inquit, perturbato uersatis animo?
Cernite manus, latus, pedesq́; cernite,
Ego ipse sum : pacem unâ coniunctissimi
Seruate, atq; trepidationem ponite.
Mox omnibus trectate dicit corpora.
Hîc hîc uera ossa, *et* ueram carnem inueneritis,
Quorum nouistis exortem esse spiritum.
At nos cùm adhuc mirabunda perpendimus,
Nec herum nostrum esse illum nobis persuasimus:
Tum de assato pisce, *et* fauo apiario
Nobiscum edere non recusans, reppetit
Eum sermonem, in quo ante mortem plurimus
Fuit, quem si tenuissemus, meherculè
Ipsius abitum forti tulissemus animo.

Hæc

[69]

REDIVIVVS.

Hæc ubi facta: is eadem uirtute subitò à
Nobis euanuit, qua intrarat lumina.
Tho. O Petre, Petre quid uerba frustrà funditas?
Quid surdo fabellam canis? Tam' ne stupidum
Tam absq; ullo iudicio *et* sensu me uiuere
Putas, ut hisce fidem habeam ineptijs?
Nam hoc ex eo genere est, quod fieri non potest,
Vt sese à mortuis quisquam resuscitet.
Ec' quem è prophetis, ec' quem è sanctis patribus
Commemorabis, qui tale quidquam fecerit?
Cho. disc. Sic *et* nos uix nobismetipsis credere
Primùm poteramus, nec satis habuimus
Loquentem audire semel, quin pacem sæpius
Nobis commendans, multa de fati sui
Necessitate, multa de nostri' omnium
Dicebat commodis. Sic *et* Galileïdes,
Quæ primæ illum ipsnm fœminæ conspexerant,
Tam nos tardos inuenêre ad habendam illis fidem,
Quàm tu iamdudum te præbes incredulum.
Quinimò Cleopæ non credidimus, *et* suo
Consocio, quibus ab urbe paulùm euntibus,
Antea quàm à nobis uisus est, apparuit.
Tho. De re tam inaudita, consensum tot hominum
Nusquam est reperire. Sed narra Cleopa omnia,
Nam te quoq; non minùs ac alios audiuero.
Cleop. Christum' met ipsum absq; ulla contronersia,
E 3 Thoma

[70]

CHRISTVS

Thoma, *et* ego *et* Amaon pariter aspeximus,
Et cum illo ultrò citròq; uerba fecimus.
Quandò etenim dirigeremus ad arcem Emaun-
tem iter:
Tanquam peregrinus *et* hospes quidam barbarus
Et obscurus, nobiscum ingressus est uiam.
Quanquam nescio quid nostros præstrinxit oculos,
Quòd eum inter eundum minimè cognouimus.
At ille, qua de re, inquit, uos inter agitur?
Cur' nam uestros adfectus continere uix
Valetis, quô minùs erumpant in lachrymas?
Ego contrà: quid ais? num' nam tu solus es
Peregrinus hisce diebus in urbe Solyma, *et*
Nescis, quae dudum perpetrata fuerint?
Roganti quæ illa' nam essent, responsum hoc dedi:
De Iesu Nazareno, qui uates fuit,
Qui rebus gestis atq; uerbis præpotens,
Tam apud ipsum Deum quàm apud homines fuit.
Et eum sacerdotum quo pacto principes,
Ac primates nostri cruci suffixerint.
Atq; ut nos omneis spes magna tenuit, eum
Redempturum Israël, ac meliorem exitum
Illi futurum, ut qui meliora meruerat.
Et quo modo post triduum Galileïdes,
Quæ uacuum se tumulum uidisse, *et* Angelos
Aiebant, qui affirmarent illum uiuere, ad

Stuporem

[71]

REDIVIVVS.

Stuporem usque admirari nos coëgerant,
Et quemadmodum quidam è nostro consortio,
Statim ad monumentum ipsum festinauerint,
Sintq; experti ueras fuisse fœminas,
Ipsum uerò Christum nusquam repererint.
Tum ille: Ea'ne uestros tandem animos incredulitas
Excæcauit? Num uaticinationibus,
Num literis ac monumentis sunt tradita
Posteritati ducis uestri discrimina?
Num'nam ille sic uos instruxit? Num deniq;
Istæc de se futura suis prædixerat?
Sic fatus, à Mose capiens exordium,
Obscura *et* inuoluta uatum oracula
Veterumq; scripta Patrum de misericordia,
Et de sapientia Dei, *et* de criminum
Etiam expiatione nobi' euoluere haud
Cessabat, ut omnia sibi crucem portenderent.
Quô uindicaret à tenebris hominum genus,
Quô peccatum, quô mortem, quô orcum uinceret.
Tum uerò, nos intrà motus quosdam nouos
Vterq; sentiebamus. Ita is animos
Dictis regebat, *et* mulcebat pectora.
Namq; memorabat, uti manuum laboribus,
Et seruitutis amaro depressos iugo,
Pharijs ab oris, ad proprios iterum Lareis,
Legumlator ciueis eduxerit suos.

E 4 Hinc

[72]

CHRISTVS

Hinc Abrahamum iussis actum cœlestibus
Charissimum filiolum ense petentem Isacon,
Demissumq́; refert angelum ipso ab æthere:
Qui aliter suadet, ac pueri insontis loco
Litari arietem iuxtà pascentem iubet.
Hijs adiungit Iosephum, fratres inuidi
Quo funere, quibus' ue discerptum feris,
Patri falsò dixêre, cùm uenundarant
Illum exteris, propter descripta somnia.
Quid loquor, aut suspensum à duce colubrum æneum,
Quo, serpentum afflatu prostrata corpora
Per campum surgebant sanata *et* integra:
Aut, ut natasse quosdam homines narrauerit,
Inclusos machina, quum iam tellu'
Et mare
Monom. Nullo discrimine
Agerentur, *et* reliquos mortalei' unda raperet.
Omnia quæ quondam meditanda suis posteris
Prophetæ cecinerunt inflati numine,
Ille meminit, donec processit Hesperus
Dimet. Olympo inuito, ut arbitror.
Et peruentum à nobis est ab eundem locum,
Quem suprà dixi. Sed quando ulteriùs iter
Habere se simularet, impetrauimus,
Vt idem nobiscum faceret hospitium.
Quod ipsum syderis alis superuolans,

Nox

[73]

REDIVIVVS.

Nox tacita suadebat. Mox diuersorium
Subit. Ad mensam nobiscum adcumbit pauperem.
Quâm primùm autem manu uidimus apprendere
Cererem, atq; modo peculiari frangere:
E uestigio mens nobis est reddita.
Agnoscimus *et* colimus aperta numina.
At ille in puncto ipso *et* momento temporis,
Abijt, *et* è conspectu se nostro abstulit.
Tho. Dixti pulchrè. Sed tam impossibile facinus,
Nemo homo quamuis uehemens, facundus, *et*
eloquens,
Quamuis limatulè *et* politè pinxerit
Orationem, mihi persuadere poterit,
Eum ipsum his oculis nisi præsentem uidero,
Hijsq́; auribus nisi præsentis uocem hausero, *et*
Nisi hisce manibus uolnera præsentia
Reuera *et* indubitanter contrectauero.
Verùm, quid hic moramur? Repetamus domum,
Ne quis iudeat ex Iudæis primoribus.
Bene est, omneis iam nunc tuti consedimus.

ACTVS V. SCENA II.

Christus. Thomas. Chorus disc.

SIt pax uobis, fratres longè charissimi.
Tu uerò age Didyme, huc huc manum admoueas,
Admoueas in latus meum, ne dubita, ego sum.

[74]

CHRISTVS

Tho. Mi domine, mi Deus, mea spes, uita mea,
Noli quæso hanc rebellionem, *et* pessimam
Incredulitatem posthac imputare mihi.
Næ inconsultus ego, atque excœcatus impia
Philautia fueram, qui proprio ingenio
Tantum attribuebam, ut rediuiuum credere
Te factum esse nequirem? quum *et* aderam
et memini
Quandò alios quarta iam luce solo conditos,
Ad huius uitæ munia reuocaueris.
Nunc demum didici, quid sit à te deseri.
Nunc demum didici, ad præsidium unius tuum
Confugere, abiectis rebus illis omnibus,
Meo quæ animo uidentur plausibilia. Nunc
Demum, fiduciæ remoti' obstaculis,
Victoriæ mortis *et* inferni gustum habeo.
Mortem ô faustam, mortem quæ nostram interficit.
Modis ô omnibus utilissimam necem,
Quæ nos dehinc in uitam sempiternam asserit.
Quas tibi grateis agam pater opt. max.
Qui non uel unigeno parcebas filio in
Nostrûm miserorum alioqui hominum gratiam?
Ad quantas, quàm certasq́; spes, nos anteà
Desperabundos erexisti? Ad quam gloriam
Ac dignitatem accersisti per filium?
Quum nos peccatorum grauitate *et* pondere,
Legisq́;

[75]

REDIVIVVS.

Legisq́; iudicio damnaremur miseri :
Tu clementissime *et* benignissime pater,
Quod nostra non potuit imbecillitas,
Effecisti, ut natus etiam tuus unicè
Tibi dilectus, pro nobis exolueret.
Quis autem, ô Christe, hominum uoluptas
et quies,
Tam erit ingratus, ferreus, adamantinus,
Qui ad gratuitam tuam beneficentiam,
Non totus desiderio tui flagret?
Non totus amore tui inflammetur *et* ardeat?
Et, ut ad solem cera, liquescat medullitus?
Sed ego nescio qua corruptus dementia,
Vt limus ad Phœbi radios durescere
Ni tua succurrisset præsentia, cœperam.
Quarè obsecro, facilis meam fidem adaugeas :
Vt mihi displiceam totus, uni tibi hæream, *et*
Vt, qui tua solius ope sic euaserim,
Per omnia semper te gratus deprædicem.
Christ. Post uisum ipsum corpus, *et* ipsissima uulnera
Tandem credis Thoma : sed felicissimos
Illos pronuncio, qui hoc persuadeant,
Etiamsi nunquam cernant. Verùm tu tamen
Rectè *et* facis, *et* loqueris. Morti caput obtuli
Pro multi' unus, meaq́; sponte, quô omnia
Quæ per Adamum à suo dilapsa erant statu,
Restituerem

[76]

CHRISTVS

Restituerem egomet maiori gloriæ.
Nunc igitur, quando me summus olympus manet,
Memori uos animo mea dicta recondite.
In omneis mundi regiones penetrabitis,
Et ubiq; gentium eritis rerum cœlestium
Nuncij: ut (si fieri possit) unusquilibet
Me mortuum sibi, me rediuiuum sibi putet.
Nihil opus erit, uetustas ceremonias,
Aut uictimas retinere, aut sacrificia.
Qui uiuida nixus fide, persuaserit
Sibi, quòd gratis una *et* sola morte mea,
Delicta *et* scelera remittuntur omnia,
Doniq́; signum huius aqua tinctus habuerit,
Et amori meo mutua responderit
Voluntate: is, quicunq; est, nil quidquam hæsitans,
Cœlum ut patriam nostro ex promisso uendicet.
Qui uerò isti non crediderit Euangelio,
Sed aud contemnit, aut uertit præposterè:
Nil hunc iuuabit lêgis obseruatio,
Nil philosophia, nil quæuis professio,
Quô minùs æternis destinetur ignibus.
Vos, cùm res ipsa poscet, nostro nomine
Serpenteis profligabitis, ac dæmonia
Exterminabitis, *et* linguis etiam nouis,
Quasi si eas dedicissetis, loquimini.
Nec hausta nocebunt ueneni pocula.

Erga

[77]

REDIVIVVS.

Erga ægrotos nos ut medicos præbebitis.
Et (quod maius quidem est) animi fœdissimos
Morbo', arrogantiam, acediam, lubidinem,
Ambitionem, odium, auaritiam, iram, abdomini
Deuotam gulam, *et* id genus innumeros propemodum
Diuina ui radicitus extirpabitis.
Nam paruo pòst tempore, uos æthereus pater
Cœlesti afflabit *et* inspirabit numine.
Quo profectò, pro me quid non audebitis?
Hoc duce, rêges *et* rerum dominos purpura
Et sceptro insignitos, nihil dubitabitis
Adire, *et* ueritatem condocefacere: haud
Longè petita erit uobis oratio,
Neq; loquendi tempus, neq; forma *et* modus:
Hîc spiritus præsens uestra ora diriget, ac
Dabit cuiq; uim uerborum *et* copiam.
Hunc, hunc animi' uestri' arrabonem accipite, quô
Vitæ illius uobis fiat certissima
Spes, cuius inæstimabilia gaudia
Sub cogitationem humanam non cadunt.
Cho. disc. Vicit iò, uicit leo de Iudæ sanguine.
Vicit iò, uicit almum Iessæi genus.
Quis non tam felici applaudat uictoriæ?
Hunc unum authorem *et* conseruatorem unicum
Agnoscat quilibet suum.
Qui nos fuso cruore, exemit crimine

Ab

[78]

CHRISTVS

Ab omni, *et* mortem morte deleuit sua
Nostram, ac uitam nobis rediuiuus attulit.
Adeò, quæ annorum tot clausa est recursibus,
Nunc sublimis olympi ianua recluditur.
Dies nunc est uatum promissa uocibus,
Vt monteis *et* colleis resultent læticia.
Nos autem, tantis iam cumulati gaudijs,
Solymæ simus, Deo canenteis gloriam.

Corônis.

Habetis rem totam, auditores optimi.
Quæ si uobis uisa est iucunda *et* amabilis,
Vt estis Christiani, uos de gloria
Christi rediuiui, deq́; uestris commodis
Iam seriò triumphanteis, plausum date.

Omnis uni Deo gratia
et gloria.

Columna 13. litera A. in ordine personarum, pro
Cleophas, lege Cleopas.